



CLASSIQUES
GARNIER

« Bibliographie, préfaces et textes divers de Jean Mercier », in ROUDAUT (François) (dir.), *Jean (c.1525-1570) et Josias (c. 1560-1626) Mercier. L'Amour de la philologie à la Renaissance et au début de l'âge classique*, p. 251-298

DOI : [10.15122/isbn.978-2-8124-5438-7.p.0251](https://doi.org/10.15122/isbn.978-2-8124-5438-7.p.0251)

La diffusion ou la divulgation de ce document et de son contenu via Internet ou tout autre moyen de communication ne sont pas autorisées hormis dans un cadre privé.

© 2006. Classiques Garnier, Paris.
Reproduction et traduction, même partielles, interdites.
Tous droits réservés pour tous les pays.

BIBLIOGRAPHIE, PRÉFACES ET TEXTES DIVERS
DE
JEAN MERCIER¹

1544 : Poèmes dans : *Opus grammatices Hebraicae, in tres libros divisum quorum primo et secundo literarum ac punctorum quibus Hebraei vocalium vice utuntur tota vis et natura, tertio vero conjugationes verborum, nominum formae, affixorum ratio, et abbreviaturae quibus Rabbini in suis scriptis uti solent, plenissime ac diligentissime tradentur auctore Joanne Vallensi.*- Paris, Wechel, 1544.

B. N. F. : X 1684 (2).

f. A ii r^o :

Εἰς Ἑβραϊαν γλῶτταν
καὶ ταύτην τὴν γραμματικὴν Ἰωάννου τοῦ Μερκῆρου

Ἐπίγραμμα

Εἰ ποθέεις ἱερὰς τελέως βίβλους ἐπιγνῶναι,
Θεσμῶν τ' ἀμφοτέρων πάντα νοεῖν λόγια,
'Ἦδε καὶ ἡγαθέων μυστήρια ἀἴψα προφητῶν,
Καὶ Μωσῆ λαμπρὰ βιβλία πέντε μαθεῖν,
Καὶ σύνελοντ' εἰπεῖν, θεοῦ ζυμπάντα λατρεῖαν,
Κ' εὐσεβίην ἀτρεκῆ σοι μέλει ἐκμαθεῖν,
Γράμμασιν ἀρχαίοις πάντως νοῦν πρόσφερε. ταῦτα
Εἰσι παλαιστίνων γράμματα χρηστὰ μαθεῖν,

¹ On trouvera ces préfaces et pièces liminaires publiées sous une autre forme par Jean-François Maillard, Judith Kecskeméti, Catherine Magnien, Monique Portalier, *La France des Humanistes. Hellenistes I*, Turnhout, Brepols, 1999, p. 278-306 (article « Jean Mercier »). Nicolas Lombart s'est chargé du long travail de collation. Bien que certaines de ces pièces soient publiées en annexe dans deux contributions, il a paru cependant préférable de les donner à nouveau ici afin de constituer un ensemble homogène. Les références aux exemplaires ne sont pas exhaustives.

* Ἐνθεν δὴ ὀφέλη πλείστον θαυμαστὰ γίνονται
 Πᾶσι γραφῶν ἱερῶν ἄπτομένοις συνεχῶς.
 Αὐτὴ γλώτθ' ἱερῶν πέλεται κλείς ποτνία βιβλων.
 Τοῦτο γραφῆς δηλὸν ἐστ' ἱερᾶς πρόθυρον.
 Εἰ δὲ μέλει ταύτης σοι γνῶν' ἐπιτάγματα πάντα,
 Ὡς ἐξῆς ταύτη πάντα γραφέντα λάβης,
 Γραμματικὴν, ἣ ταῦτα διδάξει, τήνδε μετέρξου.
 Τήνδ ἀναγῶθι, λόγον ὥστε λαλεῖν ἱερὸν.

* Ἄλλο

Κλειδάτε λεχθεῖσαν, καὶ θείας ἔισοδον ὁμφῆς
 Σοὶ πόρισαι, θεσμῶν εἰ σοφὸς εἶν' ἐθέλεις.

* Ἄλλο

Εἰ νέε γλώττης τυχέειν θείας ἔρος ἴσχει
 Τήνδε πόνω μεγάλῳ γραμματικὴν μέτιθι.
 * Ἐνθεν γὰρ ταχέως δύνασαι ξύμπαντα δαῆναι.
 Πάντα τὰ γραμματικῆς ἔνθεν ἔνεστι μαθεῖν.

* Ἄλλο

* Ἄν γλώττης ἱερᾶς ἐπιθυμῆς ἐξ ἔρον ἔσθαι
 Τήνδε λαβὼν ἀκριβῶς ἔκμαθε γραμματικὴν.

f. A ii v° :

In linguae hebraicae atque hujus grammaticae commendationem
 Io. Merceri epigramma.

Quisquis es immensi primordium noscere mundi
 Qui cupis, et summi quae sit origo mundi,
 Et quis conveniens supremo cultus olympi
 Rectori, ut vera hunc religione colas,
 Denique si vatum planè mysteria nosse,
 Sensaque vera novae legis habere cupis :
 Fontibus hebraeis operam da. Maximus inde,
 Ne dubites, aderit fructus et utilitas.
 Quis non hac homines imprimis esse locutos,

Quin potius rerum semina jacta sciat ?
 Quis dubitat primum commissa oracula sacra
 Huic linguae, atque Dei maxima judicia ?
 Quapropter merito princeps haec lingua putari
 Et digno dici nomine sancta solet.
 Huc igitur, Juvenes, omnem convertite curam
 Ac studium. Primum quaerite regna Dei,
 Sancta palaestini quae vobis copia pandet
 Sermonis : namque hic dogmata sacra docet.
 Quod si sacratae linguae cognoscere vires,
 Verbaque mirandis mystica nexa modis,
 Denique si ejusdem rationem noscere totam,
 Atque Palaestinae verba sonare placet :
 Perlege quae facili nunc primum condidit arte
 Vallensis, sacris consulat ut studiis.

1548 : Horapollon, *De sacris notis et sculpturis*.

Ὄρου Ἀπολλωνος Νειλωου Ἱερογλυφικα. *Ori Apollinis Niliaci, de sacris notis et sculpturis libri duo, ubi ad fidem vetusti codicis manuscripti restituta sunt loca permulta, corrupta ante ac deplorata. Quibus accessit versio recens, per Jo. Mercerum Uticensem concinnata, et observationes non infrugiferae.* - Paris, Chrétien Wechel, 1548.
 Bibliothèque Sainte-Geneviève : ZZ 4°316² pièce 1 inv. 671 Rés.

[f. A 2 r°] ¹

Observando in Christo patri, Domino, D. Joanni à Sancto Gelasio,
 viro et eruditione et morum integritate celebratissimo,
 dignissimo Uticensium Episcopo, Jo. Mercerus, S. D. P.

Cum nunquam non, lectissime Praesul, mihi a teneris, quod aiunt,
 unguiculis, quodam naturae instinctu persuasissem, eorumque sententiae
 obfirmato animo insistendum duxissem, qui virtute et humanitate
 praestantius nihil in hac vita parari posse tradiderunt : hinc factum est, ut

¹ Pour les textes qui précèdent cette *Epistola nuncupatoria*, voir l'Annexe à la fin de l'article de Cl.-F. Brunon, *supra* p. 127.

omni via et conatu ad ea semper studia contenderim, quae harum rerum facultatem hominibus suppeditant. Quis enim est, qui vulgatissimum illum et celeberrimum apud Graecos proverbialem versiculum ignoret : βακτηρία γάρ ἐστι παιδεία βίου ut interim tot tantorumque autorum passim obvia mittam testimonia ? Quibus pleni libri sunt, plenae sapientum voces, plena denique universa vetustas. Atque haud scio, an his reipub. administratio carere possit studiis. Quod tametsi ex permultis quae a Platone scripta sunt, et ab aliis philosophiae humanitatisque magistris, abunde firmari queat, apertissime certe Hebraeorum quidam ostendisse videtur his verbis, quae sua nativaeque lingua ascribere (quod ea te in primis oblectari, inque ea a multis annis non segniter esse versatum intelligam) non horruī גמל צסדס הנה דברים הנלם נמרד ה הנורה ה ה הבודה ה ה גמל צסדס ubi inter ea quibus mundum subsistere dicit, et legis, quae utique harum literarum praesidio maxime fulcitur, cognitionem commemorat. Neque sane procul a scopo abfuisse videntur ii, qui stoicam colvere philosophiam, cum absolutissimum, praecipuum, atque adeo solum bonum esse virtutem constanter asseruerunt. Qua de re extat apud Graecos pulcherri-
mum epigramma.

[A 2 v°] Ω στωικῶν μυθῶν εὐδαίμονες, ὦ πανάριστα
 Δόγματα ταῖς ἱεραῖς ἐνθεμένοι σελίσιν,
 Τῶν ἀρετῶν, ψυχᾶς ἀγαθὸν μόνον· ὄδε τῶν ἀνδρῶν
 Μούνα καὶ βιοτὸν ῥύατο, καὶ πόλιας.
 Σαρκὸς δαεῖδου πάθημα φίλον τέλος, ἀνδράσι ἄλλοις
 Ἢ μία τῶν μνήμης ἦνυσε θυγατέρων.

quod nos ita utcunque vertimus :

O quorum studiis infixi est Stoica secta,
 Indentes libris dogmata mira sacris :
 Utpote sola bonum mentis, quod splendida virtus
 Sit, quae vitam hominum servat et una fovet :
 Haec aliis ingens hominum solet esse voluptas,
 Unica natarum maxima Mnemosynes.

Hujus itaque nomine, cum nullum non et animo et corpore subeundum laborem existimarem, Lutetiam ab initio, omnium bonorum studiorum parentem foecundissimam adire visum est. Ubi cum per aliquot annos humanitati plane animum adjunxissem, indeque velut e medio cursu a parentibus (ut solent liberos ad artes quaesturias, ut et ille dicit, πρὸς τὰ

ἄλφιστα facientes, omni ope revocare) abreptus, legitimae scientiae Avenione ac Tolosae aliquandiu attendissem : ecce de integro me et certe ἀπροσδοκῆτως benignissima parens revocat, quasi et legum facultas illic esset absolvenda, ubi caeterae disciplinae longe sunt absolutissimae. Lutetiam itaque redii, nescio an magis, ut quicquid ex prudentum responsis acceperem, audiendis in amplissimo totius Europae senatu causis roborarem, an vero ut me velut recoquendum traderem, animumque jam fatiscentem, mansuetioribus musis reficerem. Hic cum in Orum Apollinem vetustissimum sane auctorem incidissem, Deus bone, quam reconditam in eo doctrinam, quantam ad mysteria plurima pernoscenda fenestram patefactam deprehendi, quid non syncerioris occultiorisque philosophiae ? Quem quidem autorem dum attentissime perlegerem, saepe mihi in mentem venit, non de nihilo esse, quod Plato, Pythagoras, aliique eminentissimi viri, Aegyptum sibi per-[A 3 r°]lustrandam duxissent. Enimvero quanta in ejus autoris lectione voluptas oboriebatur, tanta altera ex parte sese offerebat difficultas, quod multa perspicerem loca mutila, et quae vix citra vetustissimi exemplaris copiam possent restitui. Taceo quod a Bernardino quodam Vincentino [Bernardino Trebazio] multa non satis foeliciter versa sunt, pleraque etiam praetermissa, quod forte codici in quem inciderat, ascribendum fuerit. Itaque cum autorem hunc, ut quam commodissima dictione verterem, scholiisque, si res postularet, illustrarem, a quibusdam essem rogatus, id quidem mei amantissimis, et quibus me plurimum debere fateor hominibus, negare non potui. Caeterum cum quicquid est a me in hac re laboratum, disquirerem in cujus nomine evulgarem (neque enim obtrectatores defuturos, qui nostrum hunc laborem, ut caetera solent, in pejorem partem raperent) unus occurristi, humanissime praesul, qui totum hoc tibi prope tuo jure vindicare posses. At miraberis forsitan, qua via in tuam nunc velut imprudens familiaritatem irrepam, qui forsitan ne de nomine quidem tibi notus sim, quoque pacto religionem sanctimoniamque tuam ausim ad haec profana alioqui, revocare. Sed illud primum tibi, charissime antistes, persuadeas velim, me cum ex civium tuorum, hoc est Uticensium, numero sim, nihil non tibi ut integerrimo pastori debere, omnibus rebus tibi esse obstrictissimum. Rursus huc me tua nominis celebritas et splendor impulit, qui non his contentus studiis, quae quis in praesule necessario postulet, in penetralia etiam graecarum et hebraicarum literarum tete abdere volueris. Testes ii sunt, quos pro humanitate tua, ab aliquot annis in tuo celeberrimo comitatu fovisti, et liberalissime excepisti. De tua porro in nostrates omnes benevolentia, nihil est quod hoc loco fusius agam. Huc accedit, quod et

quosdam ex genere nostro, arcissimo nimirum mihi propinquitatis gradu conjunctos, ad amplissimos in tua civitate regenda honores promovisti. Quae omnia me nunc vel inuitum impellunt, ut et Orum ipsum ἀντίγραφον, multo [A 3 v°] tamen quam antea emendatiorem, et eundem a nobis latinitate donatum, scholiisque illustratum tuae consecrem humanitati. Quae si quo a me offeruntur animo exceperis, quod equidem (quae tua est in omne literarum et studiosorum hominum genus humanitas) te non dubito facturum : me primum tibi plane devincies, deinde et ad majora posthac molienda animum addes. Quanquam his quid majus esse potest, quae ex intimis et ipsissimis, ut ita dicam naturalis moralisque philosophiae fontibus, quin et plerunque ex matheseōn axiomatis et scitis sumpta sunt ? Hoc ego quale quale est, tibi totum offero, sub tua fide et clientela colloco, ut me qui tuam, quemadmodum loquitur Proculus, majestatem comiter observo, nostrumque Orum ab omni malignorum hominum rabie vindices ac tuearis. Generosum autem animum tuum, et sublime istud honoris fastigium, omnem denique rerum tuarum statum bene fortunet Deus Opt. Max. καὶ ἄλβια δότη. Bene vale dignissime Praesul, et munusculum nostrum candido animo suscipe. Lutetiae Parisiorum 13. Cal. Maias.

[A 7 r°]

AD LECTOREM

Admonitum te velim, lector, in hac Ori editione pleraque secus habere, quam in prioribus : idque propter oblatum nobis à doctiss. et diligentiss. homine Guil. Morelio vetustum hujus auctoris exemplar manu scriptum. Ex quo in primo libro (qui in eo tantum, nec tamen totus descriptus erat) multa restituimus. Hoc tamen scito, ubi alia illic lectio occurrebat, judicio adhibito nos eam secutos quae potior videretur, adjecta interim margini vetusti codicis lectione, ubi nostra non displicebat. Illud insuper es admonendus in vetusto exemplari capitibus titulos non praeponi, sed ad marginem adscribi. Quod cum parvi referret, morem jam hic receptum, temere immutare nolimus. Quod ergo jam castigatiorem Orum habeas, benevole lector, venerandae vetustati tribuito, et nostrum hac in re, atque aliorum quorum opera castigatior nunc prodit Orus Apollo, laborem boni consulito.

[p. 47]

Candide lectori

Errata paucissima illa quidem, sed quae et in Aldino exemplari, quod nobis archetypum fuit, inoleverant, ita emendato. [...] Caetera, lector, si forte occurrunt, boni pro tuo candore consule.

1550 : *Chaldaea translatio Abdiae et Jonae.*

[...] *Chaldaea translatio Abdiae et Jonae prophetarum, Latino sermone recens donata, cum scholiis haud poenitendis. Per Johannem Mercerum.* - Paris, Martin Le Jeune, 1550.

B. N. F. : FB-18093 ; Bibliothèque Mazarine : A. 15481 pièces 9 et 10.

[page de titre, dos :]

Ad lectores hebraismi et Chaldaismi studiosos

Cum ex omnibus Targhumin, nobiscum reputarem, quisnam potissimum liber Chaldaismo nunc primum initiatis esset commodissimus, ut in eo Chaldaea cum Hebraeis conferrent, occurrerunt inter prophetas brevissimi ac dictione facillimi Abdias et Jonas. Nam et ille etsi sua difficultate non caret, compendio tamen lectorem sublevat. Et hic, si unam exemeris Jonae praecationem, non supra historiam assurgit, nisi quod typus Christi fuit, sicuti de se ipse apud Matthaeum [en marge : Matth. 12] profitetur. Hos itaque cum viderem perspicuo ac plano sermonis genere versos a Jonatha inter Paraphrastas Chaldaeos longe celebratissimo, visum est in vestram gratiam, sacrorum oraculorum candidati, Latina oratione donare. Quod si vobis displicere non intellexero, dabo operam ut brevi caetera quoque per Jonatham versa, hoc est reliquos prophetas ex nobis habeatis. Quod ut nobis concedat Dominus, qui unus בל יבל [en marge : I. Samuel 2], et qui, ut illa inquebat, solus est אל רשון חזקה ולו חזקו, mecum una votis assiduis obnixè orate. Auctarii loco adjecimus breves quasdam observationes, quibus et Chaldaeae et nostrae versionis rationem, et difficultium locorum sensum ex Hebraeorum doctiorum commentariis exponimus. Id quicquid est, pro candore vestro, dum majora paramus, boni consuletis, nec secus a me accipietis, quam vobis בחום לבבי offeram.

Eruditissimo atque ornatissimo viro Petro Castellano
[Pierre du Châtel, évêque de Mâcon], lectissimo Matisconum
praesuli, supremoque ab eleemosynis Christianiss.
Galliarum Regi, Johannes Mercerus in Christo. S.

Saepe multumque cogitavi, dignissime praesul, deberemne has in Abdiam et Jonam breves illas lucubrationes meas, quas in eorum gratiam quibus nuper Chaldaeam grammaticem, eram professus, edere statuissem, sub tuo nomine evulgare. Verebar enim ne impudentiae merito arguerer, qui tanto viro, cujus fama multijugae eruditionis nomine non tota solum Gallia, sed ubicunque vigent ac in pretio sunt literae pervagata est, haec in speciem levia obtruderem. Accedebat quod cum vix tibi nomine notus essem, temere facere viderer qui his te patronum advocarem. Enimvero cum singularem tuam humanitatem animo agitarem, qua literatos ac studiosos viros ipse literatissimus atque nullo non disciplinarum linguarumque genere instructissimus soles excipere, haec tuo subjicere iudicio, ut qui hisce in linguis (Hebraica dico et Chaldaea) non mediocres progressus feceris, interim visum est, dum in caeteros quoque prophetas quos vertisse idem Jonathas creditur, versionem, et in totam Chaldaeam linguam tabulas paramus, quibus utriusque linguae candidatorum studia sublevantur. Quae non dubitabimus in lucem emittere, si exigua haec, e quibus tamen qualia sint futura caetera, tanquam ex unguibus, quod dici solet, leonem iudices, acerrimo tuo iudicio non improbari cognoverimus. Bene vale, praesul ornatissime. Lutetiae octavo Cal. Martias [s. d. : 1550 ?].

1551 : *Chaldaea translatio Haggaei prophetae.*

חגיגת חגיגת *Chaldaea translatio Haggaei prophetae, recens Latinitate donata, cum scholiis haud infrugiferis.* Per Joannem Mercerum.- Paris, Martin Le Jeune, 1551.

B. N. F. : A-2724 ; Bibliothèque Mazarine : A. 15481 pièce 5, et Rés. 10058 J pièce 6 ; Bibliothèque Sainte-Geneviève : X 4° 254(2) Inv. 48. Pas de pièces liminaires.

1551 : Horapollon, *De sacris notis et sculpturis*.

'Ἐρου Ἀπόλλωνος Νειλῶου Ἱερογλυφικά. *Ori Apollinis Niliaci, de sacris notis et sculpturis libri duo, ubi ad fidem vetusti codicis manu scripti restituta sunt loca permulta, corrupta ante ac deplorata. Quibus accessit versio recens, per Jo. Mercerum Uticensem concinnata, et observationes non infrugiferae.*- Paris, Jacques Kerver, 1551.

B. N. F. : Résac Z-17354 ; Rés. Z-2504 ; Rés. Z-2505 ; Rés. 2506 ; Rés. P-Z-625. Ces exemplaires ne comportent pas de textes liminaires contrairement à l'exemplaire de la Bibliothèque Sainte-Geneviève coté ZZ 8° 32² Inv. 1316 Rés.

Mêmes pièces que dans l'édition de 1548, plus :

[f. A 7 r°]

Ad Lectorem

Admonitum te velim, lector, in hac Ori editione plera secus habere, quam in prioribus : idque propter oblatum nobis a doctiss. et diligentiss. homine Guil. Morelio vetustum hujus autoris exemplar manu scriptum. Ex quo in primo libro (qui in eo tantum, nec tamen totus descriptus erat) multa restituimus. Hoc tamen scito, ubi alia illic lectio occurrebat, judicio adhibito nos eam secutos quae potior videretur, adjecta interim margini vetusti codicis lectione, ubi nostra non displicebat. Illud insuper es admonendus in vetusti exemplari capitibus titulos non praeponi, sed ad marginem adscribi. Quod cum parui referret, morem jam hic receptum, temere immutare noluimus. Quod ergo jam castigatiorem Orum habeas, benevole lector, venerandae vetustati tribuito, et nostrum hac in re, atque aliorum quorum opera castigatior nunc prodit orus Apollo, laborem boni consulito.

1555 : *Evangelium Hebraicum Matthaei*.

[...] בְּשׂוּרֵי מַתְיָהוּ *Evangelium Hebraicum Matthaei, recens e Judaeorum penetralibus erutum, cum interpretatione Latina, ad vulgatam quoad fieri potuit, accommodata.*- Paris, Martin Le Jeune, 1555.

B. N. F. : Rés. A-6485 ; Arsenal : 8°-T-599(1) ; Bibliothèque Mazarine : 23348 pièce 1.

Texte hébreu.

f. a ij r° (préface de l'évêque Jean du Tillet) :

Jo. Tilius Episc. Briocen. Carolo Lotharingo principi Cardinali
amplissimi S. P. D.

Anno superiore profectus in Italiam, inter multos ac varios libros, hoc divi Matthaei Evangelium Hebraicum reperi : quod equidem ut non ausim affirmare de eo quod sua ille lingua divinitus conscripsit, expressum, ita ex eruditorum hominum et Cisalpinorum et Transalpinorum testimonio atque praedicatione, possum asserere a Rabbinica dictione pluri-[f. aij v°]mum abesse, eaque conscriptum orationis puritate, quam nulla post desolatam hanc gentem scripta redoleant. Longe enim aliud ab eo est, quod nobis Munsterus [Sebastian Münster] plerumque barbarum et ineptum obstruit. Hoc nitidius est, praeterquam quod phrases nobis Hebraicas multis in locis dilucidiores facit. Itaque ego in eo literarum sacrarum amore, quem in me majorem Deus indidit, quam facultatum copiam, perseverans, ut verbum de verbo religiosissime [f. aij r°] converteretur hoc Evangelium, curavi, ad hancque rem sacram, Johannis Merceri doctrina et cognitione praestantis, judicioque acri praediti, et de literis hebraicis, si quis aetatis nostrae est, optime meriti, opera sum usus. Nulla autem alia quam sua commendatione et majestate liber in publicum egredi eo jure potest, quo ubique terrarum Evangelium imperet, et sua ipsum autoritate nitatur, oportet. Quod igitur tandiu inter illos Dei olim filios primogenitos delituit, [f. a iij v°] et praefractis ac obstinatis animis incognitum vel potius contemptum fuit, hoc id tempore, ut est inter Evangelia primum ordine, ita sub auspiciore cuiusquam nomine quam tuo apparere nequivisset, qui ecclesiae nostrae Gallicanae facile principem locum tenes, et quem pacatis compositisque hisce negociis ac bellis periculosis, in quibus amplitudo tua principatusque necessario jam aliquot annos occupatus est, feliciter impeditum restauranda religione corri-[f. a iij r°]gendisque vitiis, quibus ecclesiae ministri foedati sunt, exoptarem : ex qua vitiorum sentina, ista quibus quotidie justo Dei judicio vexamur mala redundare persuasum habeo. Deus opt. Max. te, Pontifex ampliss. in dies ad meliora maioraque semper provehat, in teque summum illum virtutum gradum quem ab eo speras, perficiat et absolvat. Parisiis, XXVII. Novembris, MDLIII.

1555 : *Evangelium Matthaei ex hebraeo.*

Evangelium Matthaei ex hebraeo fideliter redditum.- Paris, Martin Le Jeune, 1555.

B. N. F. : Rés. A-6485(2) ; Bibliothèque Mazarine : 23348 pièce 2.

[f. a2 r° :]

Ad Lectorem

Quia Matthaeum Hebraicum nuper a Judaeis Romanis extortum opera observandi patris *episc. Brioc.* [Jean du Tillet] viri de omni studiorum genere praeclare meriti, sciebamus cum vulgata et recepta editione multis locis dissidere, de ea re hic te paucis admonere, lector, visum est. Scito ergo hic omissa nonnulla, quod an scribae inadvertentia sit commissum speramus progressu temporis, si praesulem, cujus beneficio his frueris, superstitem servarit Dominus, patefactum iri : pleraque addita et luculentius explicata : non pauca immutata et in diversum sensum expressa. Quo factum est ut tribus notarum generibus haec insignienda duxerimus. Si quid erat praetermissum, hanc interpretationi notam inseruimus *. Si quid adjectum, hanc †. Ubi vero immutatum nescio quid, hoc signo est demonstratum ". [f. 2 v°] Quod si Hebraicum exemplar ne non Matthaei authenticum esse tibi persuadeas, te quippiam movet, scito ne Nazaraeorum quidem quo usus Hieron. et quod plerique Syriacum fuisse credunt, *αὐτόγραφον* meo iudicio fuisse. Si enim *αὐτόγραφον* erat, cur in Graeca editione, cujus quis autor fuerit Hieron. teste non satis certum est, illa omissa. Cementarius eram : quod ab eodem citatur, in 12. cap. Matth. Item, modo me arripuit mater mea spiritus Sanctus : quod profert Ezech. 16 ? Nam Graecae editionis quae extat hodie autorem non esse Hieronymum, ut quidam putarunt, haec satis superque ostendunt. Ut sit, haec satis pure scripta, si diligenter evolvas, nec a veteris instrumenti nitore procul abesse, etsi nonnihil Rabbinismi interdum adjunctum, comperies. Vale et frue.

1556 : Harmenopolus, *Promptuarium juris civilis.*

Constantini Harmenopuli iudicis Thessalonicensis Promptuarium juris civilis Latine redditum per Joannem Mercerum professorem Regium, Lutetiae. Indicatis passim ad marginem Legum nostri juris capitibus, cum quibus haec consonant, et unde primum sunt petita. Adjecti sunt ad

levandum studiosorum laborem duo indices copiosissimi.- Lyon, Matthieu Bonhomme, 1556.

B. N. F. : F-5177.

[f. aij r°]

Viro omni literarum genere quam ornatissimo, priscaque senatorum virtute summe conspicuo, Michaeli Hospitalio supplicum libellorum in Regia magistro, Margaritae Biturigum ducis augustissimae [Marguerite, duchesse de Berry], nomophylaci, Jo. Mercerus, S. P. D.

Inter eos qui literarum monumentis inclarescere ac sempiternum nominis splendorem assequi student, non postremo loco habendos existarim, vir ornatissime, qui aliorum scripta quae ab omnibus cognosci et lectitari permagni intersit, in alias linguas non mediocri diligentia adhibita bona fide transfundunt. Tametsi enim primam laudem ipsis autoribus libens detulerim, haud tamen scio an illi proxime ad hos accedant. Ita enim fit, non solum ut quae antea vix uni nota esse poterant nationi, jam cum multis, si ita res ferat, communicentur, longeque ac late pervagentur : verum etiam quae a superioribus nuda ac jejuna plerunque accepta sint, exornent, condecorent, denique meliora faciant posteriores. Id quod de Graecis hoc est sua gente confirmat divinus ille Plato in Epinomide, quae a Barbaris horrida accepissent, cultiora eos ac splendida effecisse. Ὅπερ Ἕλληνας, inquit, Βαρβάρων παρέλαβον, κάλλιον τοῦτο εἰς τέλος ἀπεργάζονται. Quantam, quaeso, lucem, ut ad nostra et pervulgata veniam, sacris Bibliis invexerunt, primum celeberrima illa Ptolemaei auspiciis edita Interpretum translatio : deinde Jonathae et aliorum Chaldaea paraphrasis ? Taceo veterum Graeciae doctorum hexapla, et quotquot usque in hodiernum diem eidem rei operam navarunt. Quae quidem interpretum varietas tantum abest ut lectori noceat, ut vel plurimum Augustino astipulante prosit. Hoc enim pacto fit ut nulli te addicas, aut in cujusquam verba jures, sed ex omnibus diligentius collatis sensum elicias certum ac germanum. Nam licet ut in caeteris ita et in sacris praestet ex ipsis fontibus haurire, si cui eos adire non sit negatum, quia tamen id non omnibus aut occupationes, aut studia, aut vitae instituta, aut tempus denique ipsum permittit, unicam quidem probarim interpretationem, sed ita fideliter elaboratam, ut omnia proprie, significanter et perspicue reddantur. Sed quia non omnes omnia in re praesertim tam ardua sunt assecuti, multis collatis lector assiduus id obtinebit quod singuli

praestare non poterant. Quid de jure civili dicam ? Quanta Romanis hominibus vel toti potius orbi commoda attulerunt, qui primi ex Graecia Leges Romam importarunt, unde, ut autor est Pomponius, nata est lex duodecim tabularum ? Hinc nostris Jureconsultis amplissima seges et latissimus de jure disputandi campus apertus est. Qua occasione factum, ut institutis ac legibus nostri Graecos vincerent, nec jam nobis Graecorum leges, sed illos potius nostrae essent mutuandae. Scis enim omnium optime, vir multiplici rerum cognitione percelebris, pene totum jus nostrum Latine conscriptum brevi ad universum orbem Romanum permanasse. Id autem ut Graeci homines quibus erat ex praescripto legum Romanarum vivendum, sibi familiarius facerent, plerique Graece reddiderunt. Quibus haud scio an tres illi celebratissimi principes, Basilius, Constantinus et Leo sint annumerandi, ex quorum Prochiro se fatetur suum coagmentasse noster Harmenopulus. Cum enim, ut rem totam apertius exponam, Leges late diffusas hi principes sexaginta libris compendio essent complexi, neque eorum labor nostro Harmenopulo faceret satis, in sex volumina contulit quae vix illi sexagenis explicare potuerant. Neque vero fusius hoc loco persequar, quantam hoc compendio laudem sit meritus. Certe totas nostrorum Jurisconsultorum leges ita saepe proponit et declarat aperte, ut tria plerunque hujus verba malim, quam integras recentiorum paginas, verbososque, ne dicam molestos nec satis puros commentarios. Sed haec res eo legendo fiet planior. Enimvero mirabere forsitan, vir generosissime, quid sit quod cum jam me totum, ita Regio munere postulante, linguae Hebraicae studiis addixerim, nunc tibi hunc librum consecrem, qui a professione nostra plane abhorreere videatur. Rem breviter perstringam. Ante quam Lutetia in patriam redirem, jeceram equidem huius linguae haud contemnenda fundamenta, atque eo maxime nomine hoc iter susceperam, ut Avenione collatis cum doctissimo quoque Hebraeorum studiis, pleniorum linguae sanctae cognitionem adipiscerem. Sed cum in eadem civitate clarissimos juris professores esse intelligerem, visum est eadem opera et juri incumbere. Hic primo anno exacto Tolosam peto. Ubi cum arridere inciperet legitima scientia, serio huc animum appello, librosque omnes conquiram tam Graecos quam Latinos, ex quibus commodiorem aliquam juris perdiscendi rationem ineam. Inter alios mihi hoc Πρόχειρον occurrit : cujus ubi aliquot chartas legissem, necdum a quoquam Latino sermone donatum inuenissem, ad hanc rem multis etiam hortantibus et calcar (quod dici solet) addentibus, summo studio sum aggressus. Hic per triennium aut quadriennium totus fui. Porro cum me Germanus quidam antevertisset vir sane eruditus, placuit ante quam

institutum prosequer, ejus de Graecis conversionem perlegere. Ea perlecta et propius atque accuratius cum Harmenopulo collata, non pauca desideravi. Quo factum est, ut nostram supprimendam non putarem, et quicquid ea in re laboris erat reliquum, libens exciperem, ac tanquam bona stadii parte confecta ad metam alacrius aspirarem. Hanc ergo postea Lutetiae sedulo recognitam cum a me Lugdunenses typographi postulasent, quo tempore a publico munere impetrato commeatu nostrates peterem, libenter obtuli, ut juris candidatis liceret perspicere quantum inter nostram et priorem intersit interpretationem. Eam sub tuo praesertim nomine apparere vir clariss. aequissimum judicavi, quod te Jurisperitorum nostrae aetatis facile principem, quemadmodum et caeterarum disciplinarum coryphaeum esse intelligam. Quem excellenti virtute ac doctrina et singulari morum integritati praeditum Rex Franciscus primum in supremae curiae senatorum ordinem allegerit, deinde Henricus in Regiam accitum sibi a libellis supplicibus esse voluerit, Margarita [Marguerite, duchesse de Berri puis de Savoie] hujus soror illius filia, principum foeminarum decus et exemplar absolutissimum, summae rerum suarum familiarum praefecerit, sibi que a consiliis primo loco esse jusserit. Quem denique viri principes propter prudentiam atque in rebus agendis industriam revereri, suspicere, et si quid subortum fuerit ardui, in consilium adhibere solent non secus ac alterum Nestora. Quid humanitatem memorem, qua viros literatos et qui rem literariam studiis suis promovere conantur excipis, tueris, colis et patrocinio ac auctoritate tua sublevas ? Id equidem cum in mea causa non semel sim expertus, tacitus praeterire non possum. Quam una cum Johanne Morello [Jean de Morel] socero meo, homine tibi amicissimo, mihi multis nominibus observando, viro tam moribus et vitae institutis tum eruditione et rerum experimentis in nostra Gallia conspicuo, summa semper contentione egisti apud homines amplissimos. Qui me nuper ejusdem instinctu atque hortatu a malevolorum hominum calumniis quibus pene opprimebar vindicaris, et tantum non de possessione dejectum velut Praetoria auctoritate restitueris, denique ut hoc munus sustinerem quod humeris incumbit, effeceris. Pro quibus beneficiis, ut alia taceam, quibus ab utroque semper sum ornatus, cum non habeam quas aut tibi aut illi gratias referam, gratum certe animum quamdiu vixero geram, nec ulla temporis quantumlibet παντοβόρου vetustate tantorum meritorum recordationem apud me obliterari patiar. Interea hujus animi symbolum nostrum munusculum hilari, ut caetera soles, fronte excipito, habiturus a nobis aliquando, si coeptis faveat Dominus, et maiora, et Christianae Reipubli-

cae utiliora quae jamdiu molimur. Bene vale vir spectatissime. Lutetiae pridie Nonas Decembreis, anno humanae salutis 1555.

[f. a ij v°]

Ad lectorem

Ne te Lector, characterum varietas quibus hoc opus est descriptum, turbet aut remoretur, de ea re hic te paucis admonere visum est. Observabis itaque multis locis Harmenopulum Jurisconsultorum responsa et principum placita in hoc compendium relata, suis Scholiis aut explanationibus illustrasse. Quod cum exemplari Graeco non usque adeo accurate praeposito σχολίου aut ἐξηγήσεως nomine, semper esset distinctum, in hac interpretatione ut distingueretur sedulo curavimus, aut scholii nomen, quanquam in Graeco non esset, praefigentes, aut ubi dubium videbatur, margini adjicientes videri scholii esse : Id quod vel diversa literarum ratio satis indicare poterat. Sed et illud admonitione dignum, quoniam Graecus codex saepe corruptus est, aut suspectus, aut etiam subobscurus, multa a nobis restituta esse loca, et apertius diligentiusque explicata, aut certe nostrum de illis iudicium interpositum. Id alio etiam scripturae genere exarandum duximus. Etsi, ut res tota planior esset, asteriscum praenotavimus. Id quicquid est, boni consules, ac tantisper dum exemplar emendatius fors obtulerit, uteris frueris, nostrosque labores, quos in hoc thesauro proferendo multis interim aliis occupationibus distracti excepimus sane non mediocres, tibi exceptos, lector, existimabis. Vale.

1556 : Ps. Jehudah ben Balaam, *Brevis Tractatus de accentibus [...]*.

[...] שער פעמי ג ספרים אמת *Brevis tractatus de accentibus trium librorum Job, Proverb. et Psalm. (quorum ratio a nemine antehac plene exposita est) auctore R. Juda filio Bilham, Hispano, nunc primum editus.* - Paris, Charles Estienne, 1556.

B. N. F. : Rés. X-1431.

Jo. Mercerus Regius linguae sanctae professor, candido lectori, s.

En damus tibi, Lector studiose, brevissimum hunc de trium librorum accentibus tractatum, qui ita obscuri, intricati, et a reliquorum 21 librorum ratione diversi sunt, ut ante aut etiam post hunc autorem nemo eos sit

aggressus. Sparsim quidem de his nonnulla apud Kimhi et alios reperies, et, ut Isaias inquit, וער אים וער אים. Promittit et Elias se de his privatim acturum, quod nobis intempestiva mors invidit. Hoc autem velut fragmentum ex integro autoris de accentibus scripturae, libello tibi decerpsimus, propediem totum eum, si Dominus voluerit, daturi. Hic prae caeteris diligentissimus est in locis scripturae recensendis, quos alii in Masora lectori non citra molestiam quaerendos relinquunt, ut taceam canones de literis אהוי בכנר ככה, daghes et ejuscemodi rebus, ad unguem et dilucide tractatos. Hoc quicquid est, D. Vatablo insignis doctrinae viro, et in veteribus Hebraeorum monumentis perquirendis diligentissimo, cujus felicem et sanctam recordationem nulla temporis vetustas ex hujusce linguae candidatorum animis oblitterabit, acceptum feres, ex cujus bibliotheca haec et alia non minus frugifera, nobiscum a Matthaeo Beroaldo magnae spei juvene communicata, tibi impertiri statuimus. Vale.

1557 : *Chaldaea interpretatio Amos, Abdiae et Jonae, [...]*.

[...] *Chaldaea interpretatio Amos, Abdiae et Jonae, punctis juxta analogiam grammaticam notata, cum varia lectione, per Joannem Mercerum linguae Hebraeae professorem Regium. Accesserunt ejusdem scholia in loca difficiliora Targhum.*- Paris, Charles Estienne, 1557.

B. N. F. : Rés. A-2719(2) et X-685(1).

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1557 : *Chaldaea [...] interpretatio in duodecim prophetas.*

[...] *Chaldaea Jonathae, Uzielis filii interpretatio in duodecim prophetas, diligenter emendata, et punctis juxta analogiam grammaticam notata, per Joannem Mercerum Hebraicarum literarum professorem Regium. Hoseas et Joel cum explicatione locorum obscuriorum Targum, per eundem.*- Paris, Charles Estienne, 1557.

B. N. F. : Rés. A-2719(1) ; Rés. A-2719(BIS,1).

[non paginé]

Jo. Mercerus candido lectori s.

In adjiciendis punctis Chaldaicae paraphrasi, Lector, non semper exemplaria in hodiernum usque diem typis mandata sumus secuti : quippe quum in illis pro arbitrato magis eorum qui hujus rei autores fuere, quicunque tandem illi fuerint, puncta sint adscripta, quam ut analogia grammatica postulabat. Ea sane Elias autor est, nondum hanc linguam certis teneri legibus, sed more suo quenque Chaldaica tractare et legere. Nobis tamen dandam esse operam existimo, ut, quoad ejus fieri poterit, rationem hîc quandam sequamur, hoc est, ex Daniele et Ezra colligamus quicquid potest colligi : caetera ad analogiam revocemus, ab ea temere non evagantes, ut plerisque omnibus et ipsi etiam Eliae accidit. Id nos primum nec omnino infeliciter conati sumus. Secuti sunt alii qui sua laude fraudandi non sunt, qui ea adverterunt quae ad hujus linguae certiore rationem facerent. Nec despero assidua cura et improbo labore fore, ut consummata tandem haec lingua et aequae certa sit ac Hebraea, quando Dominus tam obscura et recondita antehac, nobis hisce temporibus patefecit. Monendus ergo es, Lector optime, praeter analogiam grammaticam religiosissime observatam, nos etiam id curasse, ut otiosae litterae lectionis causa, ut in commentariis Hebraeorum, adjici solitae, quantum in nobis fuit, detraherentur. Quod si quae adhuc remanserint (quanquam paucissimas ego puto) eas caeterorum collatione facile reseccandas intelliges : nec Hebraeus sermo, quicquid est supervacuum literarum, prorsus summovet. Haec utut habent, boni consules, et posthac utriusque linguae studium conjunges, percepturus, mihi crede, ex Chaldaeorum interpretum lectione fructum nec vulgarem nec mediocre. Bene vale. Lutetiae Cal. Januar. anno humanae salutis 1557.

1557 : *Joel cum commentariis R. David Kimhi.*

[...] ספר יואל *Joel cum commentariis R. David Kimhi, a Francisco Vatablo, Hebraicarum literarum Regio professore, summa cura et diligentia recognitis. Adjecta insuper varia lectione et indice locorum qui ex Talmud citantur, per Jo. Mercerum professorem Regium.- Paris, Charles Estienne, 1557.*

B. N. F. : A-2304(2,14) ; A-2305(2,14) ; A-2304(3,7) ; A-2304(BIS,4,5).
Bibliothèque Mazarine : A. 15481 pièce 3.

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1558 : *Chaldaea interpretatio Michaeae, Nahum, Habacuc, Sophoniae, Haggaei, Zachariae et Malachiae.*

[...] *Chaldaea interpretatio Michaeae, Nahum, Habacuc, Sophoniae, Haggaei, Zachariae et Malachiae, punctis juxta analogiam grammaticam notata, diligenterque emendata, adjecta etiam exemplarium hinc inde collatorum varia lectione, per Joannem Mercerum linguae sanctae professorem Regium.- Paris, Charles Estienne, 1558.*

B. N. F. : Rés. A-2719(3) et Rés. X-1433. Bibliothèque Mazarine : 15481 pièce 4.

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1559 : *Chaldaea Jonathae in sex prophetas interpretatio.*

Chaldaea Jonathae in sex prophetas interpretatio, Michaeam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Zachariam et Malachiam, Latinitate nunc primum donata, et scholiis illustrata. Per Johannem Mercerum linguae Hebraicae professorem Regium.- Paris, Charles Estienne, 1559.

B. N. F. : Rés. A-2719(6). Bibliothèque Mazarine : 11457. Bibliothèque Sainte-Geneviève : X 4° 254² pièce 1 Inv. 48.

Texte latin seul.

[p. 1]

Amplissimo Cardinali et principi generosissimo Carolo Lotareno,
Johannes Mercerus Hebraicarum literarum Professor Regius,
S. in Domino.

Chaldaeam linguam ex earum esse numero, quas tum ad solidam antiquitatis cognitionem, tum ad rerum sacrarum accuratam ac fidelem perceptionem, a liberalibus ingeniis perdisci est operae pretium, quae fidem faciant plura sunt, Cardinalis illustrissime, quam ut hoc loco a nobis commemorari aut debeant aut possint. Quanquam enim aut paucissima aut fere nulla, quod viderim, extant hoc sermone conscripta volumina, praeter ea quae in sacris Bibliis visuntur fragmenta, et quae sparsim apud Hebraeos doctores, mixtimque, ut illis moris est, reperiuntur, haud continuo ejus negligendum fuerit studium : imo vero putarim eo diligentius huc incumbendum. Sane non dubito, quod aliis linguis hac nostra

aetate usu venit, ut e mediis tenebris abditissima quaeque et maxime abstrusa, tandem eruta in lucem proferrentur, idem et vetustissimam hanc nobilissimam linguam suo tempore experturam. Audio jam alicunde prodire Evangelistas quatuor Syriaco sermone, qui idem et Chaldaeus est. Certe Matthaeum sunt qui existiment non nisi eo sermonis genere, quod tunc Judaeis vernaculum esset, suum scripsisse evangelium. Porro vulgatam illis hanc linguam jam inde fuisse ex quo Babylone redierant, vel Ezras locuples testis est. At qui quaeso fieri possit, ut cum tot et tam clara ab eo tempore ad Christum usque floruerint ingenia, praesertim cum suo populo saepe tum arriserit Dominus, et amplas victorias, ditionemque quantam nunquam antehac concesserit, sui specimen nullum posteris relinquerint : Ut taqueam quae jam a primis temporibus potuerit Chaldaea gens orbe toto percelebris, vel de rerum imitiis, literis prodere, vel de rebus a se gestis, vel certe de omni sapientiae genere, qua praecelluisse eos multorum scriptorum monumenta fidem abunde faciunt. Adde quod haec nationes quam plurimas sit complexa, ut Persas, Medos, Syros, qui quod et ipsi late paterent, Syriaca quoque dicta est, quae peculiariter Chaldaea uocitabatur (ut si quis Gallicam et Francicam linguam nominet, etsi non ignorem Caesarem Gallorum appellatione Celtas peculiariter designatos scriptum reliquisse) Assyrios, et quicumque inter duo flumina Tigrin et Euphratem siti sunt. Unde et copiosissima fuit et ditissima haec lingua : ut observarim ea longe foelicius exprimi quicquid velis, quam Hebraea, atque hanc prae illa pene dixerim inopem esse. Sed apud quem dico ? Nempe eum cui non haec tantum sint notissima, sed prope familiaria et domestica : cui omnia omnium gentium monumenta tam nova quam vetera in promptu sunt, ut nullum ei ad res foelicissime gerendas tam domi quam foris exemplum desit. Cujus auctoritatem, prudentiam et industriam tam pace quam bello spectatam verbis nemo consequi [p. 2] possit : cui denique, quod apud nos tantopere floeant, debent literae, et bonae omnes partes. Hujus itaque linguae studium cum Hebraica, cui prae ceteris vicina est, cum multis annis sedulo conjunxissem, et aliquot etiam ex Prophetis minoribus in studiosorum utriusque gratiam e Chaldaeo in Latinum sermonem convertissem, tandemque etiam tuis auspiciis, Praesul lectissime, hos typis lingua eadem, quod usque in hodiernum diem desiderata esset, excudendos curassem, analogia etiam grammatica, quoad ejus fieri potuit, quod ante nos nemo tentarat, usque quaque observata, visum est idem et in eos qui supererant moliri. Restabant autem sex, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Zacharias et Malachias. Nam alii sex jam, aut nostra, aut D. Quinquarborei [Jean Cinquarbres] collegae nostri

opera prodierant. Adjeci et luculentas observationes, quibus quae in Chaldaea interpretatione erant obscuriora, ut multa sunt, declararentur. Haec qualiacunque sunt, sub tuo nomine, Cardinalis amplissime, aequum erat ac prope necessarium ut evulgarem : ut cujus auspiciis jam in vulgus exierant Chaldaea, iisdem exirent et e Chaldaeis Latina facta. Haec si tuo probata calculo intellexero, ad caetera quae domi jamdiu in plerosque alios scripturae libros paratos habemus, edenda, ac nova etiam aggredienda animum addes. Vale Cardinalis ornatissime. Lutetiae Cal. Apr. anno salutis humanae 1559.

1559 : *Chaldaea interpretatio sex prophetarum.*

Jonathae Uzielis filii, Magnae apud Hebraeos auctoritatis, chaldaea interpretatio sex prophetarum : Hoseae, Joëlis, Amos, Abdiae, Jonae et Haggaei, per Joan. Mercerus linguae Hebraicae professorem Regium, Latine reddita. Ad illustriss. principem, cardinalem Lotaringum. - Paris, Guillaume Morel, 1559. B. N. F. : Rés. A-2719(5) ; A-2719 (quater).

[f. a 2 r^o]

Amplissimo et undequaque ornatissimo cardinali, principi illustrissimo, Carolo Lotaringo, Jo. Mercerus S. P. D.

Cum ante aliquot menses Syriaca Jonathae interpretatio duodecim prophetarum, quos minores vocant, tuis auspiciis Cardinalis amplissime, in vulgus exiisset, et ex horum numero sex non ita pridem tuo nomini dicatos primus ego Latio donassem, non defuerunt qui et sex reliquos ut eodem stili genere conuerterem, quotidianis prope conviciis efflagitarent. Equidem ante novennium tres edideram breviores et faciliores, non ob aliud quam ut tunc initio meae professionis, specimen aliquod ejus linguae non ita cognitae, nostris hominibus praeberem. Quae tum temporis causa fuit, ne quicquam in Chaldaicis immutarem ab editione Veneta. Sunt enim singulis disciplinis ac linguis, et rebus denique omnibus, sui gradus, principia, progressus et incrementa. Atque eorum qui has doceantur vel in primis habendam esse rationem, praeter Graecos et nostros, quorum testimoniis hîc supersedeo, diserte et prudenter Hebraeus sapiens sua lingua monet תנו לנצור צל פי דרכו גם כי יזקף לא יסור מפניו. Quod latine sonat, puerum pro [f. a 2 v^o] captus sui modulo instituendum : sic fore, ut id quo imbutus fuerit, ne senex quidem dediscat. Novissime vero accuratorem

Chaldaismi rationem ex Hebraica analogia inire coepimus, quam nos et Hebraeis ipsis, et posteris inter nostros non citra gratiam probaturos non diffidimus. Tres ergo cum nobis superessent, ut et illorum votis indulgerem, et communibus studiis consulerem, hos quoque dictione perspicua et fideliter redditos volui, sed ita ut et alii tres simul accederent, nudo omnes contextu, ne a se invicem posthac divellerentur. Si quid enim hic occurreret obscurius, id ex priore aut etiam vetere editione peti volumus, ubi ad Chaldaeum contextum luculenta adscripta sunt scholia. Hos nefas esse duxi, Cardinalis illustrissime, alterius cuiusquam evulgare nomine, qui sex reliquos nuper sub tuo edidissem, ac majores quoque Isaiam, Jeremiam et Ezechielem bona ex parte confectos, sub eodem in vulgus edere auxiliante Domino statuerim : quandoquidem is es, cujus auctoritate et patrocinio incolumes etiamnum post tam funesta bella stant literae : cui uni vel hoc nomine (ut sexcenta alia taceam) plus nostra debet Gallia, quam Ptolemaeis quondam literae, et omnibus qui bibliothecas instructissimas conguessisse memorantur. Bene vale praesul ornatissime. Lutetiae 15 Cal. Novemb. anno salutis 1559.

1559 : *Habacuc cum commentariis R. David Kimhi.*

Habacuc cum commentariis R. David Kimhi, a Francisco Vatablo [...] summa cura et diligentia recognitis : adjunctis insuper scholiis Masorae varia lectione, atque indice locorum quos Kimhi citat ex Talmud, per Jo. Mercerum linguae Heb. professorem Regium.- Paris, Charles Estienne, 1559.

B. N. F. : A-3916.

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1561 : *Chaldaeae interpretatio proverbiorum Salomonis.*

תרגום בסלמי השלמה. Chaldaeae interpretatio proverbiorum Salomonis, punctis juxta analogiam grammaticam accurate notata, et a multis mendis quibus ante scatebat, repurgata. Opera Jo. Merceri Regii Hebraicarum literarum professoris. - Paris, Guillaume Morel, 1561.

B. N. F. : Rés. A-2739(1).

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1561 : Joseph Ezobi, *Paropsis argentea* (à la suite de : R. Haai ben Sherira, *Cantica eruditionis intellectus*).

Cantica eruditionis intellectus, auctore percelebri R. Haai piae memoriae, et Paropsis argentea auctore R. Joseph Hyssopaeo.- Paris, Guillaume Morel, 1561.

B. N. F. : Rés. A-6607 ; B-5276(2) ; YA-412 ; YA-413 ; B-5280.
[p. 3]

Jo. Mercerus omnibus Hebraismi studiosis s.

Interea dum preces ex sacris Bibliis descriptas pararet excudere typographus, forte fortuna est mihi oblati ex Petri Castellani [Pierre du Châtel] Matisconum quondam Praesulis bibliotheca libellus Hebraea continens cantica, vel potius, ut cum Mose dicam אגח האלהים לידי. Hunc quia commodus videbatur qui ad calcem preces subjungeretur, quo justum existeret enchiridion, rogatus ut Latinitate donarem, libens equidem id oneris suscepi. Neque enim ignoro quam hactenus fuerit nostris hominibus obscura et recondita Hebraeorum versuum ratio. Quam cum superioribus annis (ut semper in animo fuit in hac lingua quae antehac delituerant, ex mediis tenebris eruta in lucem proferre) publice coepissem exponere, ea nunc hoc libello, si diligens fueris, lector, fiet planissima. Nihil his canticis fingi possit in suo [p. 4] genere elegantius. Quod ad rem attinet, ne hîc verba tantum esse putes et sine mente sonum : graves audies sententias, ejusdem, si haec par est cum sacris conferre, argumenti cum Salomonis paroemiis. Sed quid plura ? Ipsa te lectio quale sit opus docebit. Nam quod versionem horrido forsitan orationis genere conscriptam querêris, id me data pene opera fecisse intelliget linguae Hebraeae candidatus, ut verbum prope de verbo redditum haberet. Poterunt qui splendidius sermonis genus consecantur, Hebraeos tropos ubi assecuti fuerint, in quanlibet formam commutare. Mihi quidem semper ita placuit sermonis Hebraei (ut vulgo plerique rerum ignari nominant) simplicitas, vel potius auctoritas et majestas, ut eam non nisi longis circuitibus, ac fere a nativa gratia alienis exprimi posse credam. Tu haec candide lector boni consule, ac illud observa, curasse me, ut ad finem libri, tibi cujusque carminis ratio constaret, quo facilius unumquodque אגח האלהים ad formam genusque suum revoces. Bene vale. Lutetiae Cal. Mart. 1561.

1562 : *Chaldaea interpretatio Ecclesiastae.*

מגלת קהלת *Chaldaea interpretatio Ecclesiastae. Emendata, et punctis ex analogia Grammatices notata, per Jo. Mercerum Hebraicarum literarum professorem Regium.*- Paris, Guillaume Morel, 1562.

Arsenal : 4° T 204. Bibliothèque Mazarine : A 15481 pièce 14. Bibliothèque Sainte-Geneviève : X 4° 272 Inv. 72.

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1563 : *Libellus Ruth cum scholis Masorae.*

[...] מגלת רות. *Libellus Ruth cum scholiis Masorae ad marginem. Item in eundem succincta expositio nondum in lucem emissa, cujus in manu scripto exemplari autor praefertur R. D. Kimhi. Omnia per Jo. Mercerum hujusce linguae professorem Regium diligentius recognita.*- Paris, Robert II Estienne, 1563.

B. N. F. : Résac. A-2719(10).

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1564 : *Syriaca paraphrasis libelli Ruth.*

מגלת רות *Syriaca paraphrasis libelli Ruth, a mendis repurgata, et punctis juxta analogiam grammaticam notata, cum Latina interpretatione pene ad verbum, in eorum gratiam qui Syrorum linguam cum Hebraea conjungere et conferre cupiunt : item conjectura de locorum aliquot suspectorum emendatione, per Jo. Mercerum harum linguarum professorem Regium Lutetiae. Adjecta sunt ad calcem annotata quaedam de Noëmi socru Ruth, et de Booz atque aliis, tum ex Hebraeis, tum ex nostris : et quid in re tam dubia sequendum videatur, ejusdem Merceri judicium.*- Paris, Robert II Estienne, 1564.

B. N. F. : Résac A-2719(9). Bibliothèque Mazarine : A 15481 pièce 18. Bibliothèque Sainte-Geneviève : X 4° 254(2) pièce 3 Inv. 48 Rés.

Au colophon :

Excudebat Rob. Stephanus typographus regius Lutetiae Parisiorum, anno MDLXV XV. Cal. Febr.

Pas de textes de Jean Mercier.

1565 : Jehudah ben Balaam, *Liber de accentibus scripturae*.

[...] ספר שני דמקרא *Liber de accentibus Scripturae autore R. Juda filio Balaam, Nunc primum editus, opera Jo. Merceri, Regii literarum Hebraicarum professoris.*- Paris, Robert II Estienne, 1565.

B. N. F. : Rés. A-2897(2) ; Rés. X-1518(6) ; Rés. X-685(4) ; Rés. X-1432.

Texte hébreu.

[f. a i v° :]

Jo. Mercerus Regius linguae Hebraicae professoris omnibus ejus
linguae studiosis s.

Curaveram ante aliquot annos edendum fragmentum R. Juda ben Bilham de accentibus trium librorum תנ"ך, interim dum sese occasio offerret excudendi totius operis de totius Scripturae accentibus. Hos qui accurate pertractarit ante *Eliam* nostro tempore, ex Hebraeis neminem vidi. Nam *Calonymus* nostrae aetatis est : R. *Juda* praecessit etiam *Kimhium* et *Aben-Ezra*, sicut et ab hoc passim citatur. In citandis Masorae locis et enumerandis, diligentia superat caeteros qui hoc argumentum tractarunt. Accentuum tractationi praeponit canones utilissimos de tota punctorum et orthographiae Hebraicae ratione, non absimiles iis quos nostro tempore *Elias* in Canticis affert. Haec licebit cum fragmento de accentibus trium librorum simul compingere. Quin et post fragmentum illud nonnulla supererant, quae nunc tibi omnia damus. Debes autem haec omnia Matthaeo Beroaldo hujus linguae apud Aureliam doctissimo professori, qui ut ante fragmentum, sic nunc integrum opus nobiscum candide communicavit in usum studiosorum omnium, sicut et alia libenter impertitur e bibliotheca quam penes se habet, viri celeberrimae et immortalis memoriae *D. Vatabli*. Ea suo tempore excudenda etiam curabo, si haec tibi non ingrata esse intellexero. Bene vale. Lutetiae Id. Aug. anno 1565.

[f. b i r° :]

Curaveramus alias ex integro libro de accentibus seorsim edendum tractatum de accentibus trium librorum תנ"ך, quo tunc egebamus. Supererant in fine totius libri nonnulla, quae ad trium librorum accentus cum non pertinerent, tunc non edidimus. Ea nunc habes hac charta, quam

quidem ad calcem totius libri post tractatum de accent. trium libr. poteris subnectere. Invenimus et ad extremum quoddam fragmentum, quod pari fide, uti invenimus in archetypo, tibi damus. Horum te monitum volumus, candide Lector, ne quid te fugeret eorum quae ad hanc rem spectant, utque integrum librum R. Juda ben Bilham vetusti authoris tibi haberes. Tu his fruere, ac vale.

1566 : *Decalogus Praeceptorum divinorum.*

[...] צִשְׁרָתְהָ הַדְּבָרִים. *Decalogus Praeceptorum divinorum, cum pulcherrimo et doctiss. commentario Rabbi Abraham Aben Ezra. Accedit Latina interpretatio per Jo. Mercerum Regium linguae sanctae professorem. Item Targhum Onkeli in Decalogum, in eorum gratiam qui Chaldaea cum Hebraeis conferre cupiunt, recens punctis juxta analogiam Grammaticam notatum per eundem.*- Paris, Robert II Estienne, 1566[-1568].

B. N. F. : Rés. A 2379(Bis,1).

Texte hébreu.

Pas de textes de J. Mercier.

1567 : *Jonas cum commentariis R. David Kimhi.*

יִתְּנָה *Jonas cum commentariis R. David Kimhi, a Francisco Vatablo, Hebraicarum literarum Regio professore summa cura et diligentia recognitis : adjectis insuper scholiis Masorae, varia lectione, atque indice locorum quos Kimhi citat ex Talmud, per Jo. Mercerum linguae Heb. professorem Regium.*- Paris, Robert II Estienne, 1567.

B. N. F. : Rés. A-3915(4) ; Rés. X-685(2). Bibliothèque Mazarine : A 12935. Bibliothèque Sainte-Geneviève : X 4° 255 pièce 1 Inv. 49 bis.

Pas de textes liminaires de J. Mercier.

1568 : *Abraham Aben Ezra, In decalogum Commentarius.*

In decalogum Commentarius doctrina et eruditione non carens, docti inter Hebraeos Rabbini, Abraham cognomento Aben Ezra, interprete Joanne Mercero Hebraïcorum literarum professore Regio. Item, Decalogus ut ab Onkelo Chaldaeo Paraphraste conversus est, per eundem Latinus factus.- Paris, Robert II Estienne, 1568.

B. N. F. : Rés. A-2379(Bis,2). Bibliothèque Sainte-Geneviève : X 4° 254(2) pièce 4. Inv. 48 Rés.
Texte latin.

[f. A i v°]

En tibi tandem, studioso Lector, quod jam ante annum promiseram, nec per occupationes aut assiduas praelectiones praestare ante hodiernum diem licuerat, Commentarii Aben Ezra in Decalogum Latinam conversionem, quem seorsim in gratiam candidatorum Hebraeae linguae edendum curaram. Idem olim *Munsterus* vir de his studiis, si quisquam Christianorum, optime meritus, tentarat : sed mutilum utrumque dedit, praetermissis non sine causa forsitan quibusdam. Ego vero, etsi nonnulla Judaïcam magis curiositatem et λεπτοσκεψίαν resipere videbantur, malui integrum tanti apud suos viri laborem exhibere, tum ne quis jure de me quaereretur, tum ut linguae hujus studia magis promoverem, ne quid hac in parte obscurum relinqueretur. Memineris autem eadem opera me pleraque illustrasse loca haud satis ab illo considerata, ac maturo judicio adhibito, nativo sensui restituisse. Experiere, si conferas. Et nos id viva voce solito munere hac hyeme ante Levitici instituto a nobis ordine succedentem enarrationem facturi eramus absque turbis civilibus, quae jam inde a quadrimestri coeptae, magno literarum incommodo, et majori totius regni dispendio exardescunt adhuc justo Dei in hominum noxas judicio. Speramus autem brevi, ubi primum optatam coelitus pacem idem restituerit, cui ex Psalte aequae facile est populorum tumultus componere, ac maris procellarum insanos strepitus sedare, id nos cumulatissime ejus ope pensaturos. His interim frui, quae ex farragine nostrae commentariorum Hebraeorum interpretationis novissimis vacationibus, dum rusticaremur mense Septembri, elaborata tibi libenter damus, ac vale. Lutetiae quarto Cal. Februar. anno salutis supra millesimum quingentesimo sexagesimo octavo.

1568 : Trois épitaphes, en hébreu, en grec (4 distiques) et en latin de Jean de Salignac (1505-1568 ; Joannes Salinaeus ou Salignacus, de Bourges), docteur en théologie, élève de Vatable et ami de Postel : B. N. F., Manuscrits : Fonds Dupuy 630 R. 151 458, f. 127. Voici, avant deux poèmes en latin (64 et 17 vers) signés par plusieurs auteurs et une pièce de 8 distiques latins adressée à J. Mercier et signée J. R., l'épitaphe en latin (4 distiques) :

In virum insignem pietate et varia doctrina conspicuum
 Joan. Salignacum Doctorem Theologiae,
 Joan. Merceri Regii literarum Hebr. professoris Epitaph.

Insignem virtute virum, pietateque clarum,
 Cui par doctrina non fuit omnigena,
 Abstulit insigni damno, dum saeva recurrit
 Alterno febris perniciosa die.
 Abstulit illa quidem terris, sed reddidit alto,
 Quo semper fuerat nisus ad astra, polo.
 Ergo Salignacum Doctorum palma coronat
 Nunc magis, et solida jam probitate viget.

1573 : J. Mercier, *Commentaria in librum Job*.

*Joannis Merceri Regii quondam in Academia Parisiensi literarum
 Hebraicarum Professoris Commentarii In librum Job. Adjecta est
 Theodori Bezae Epistola, in qua de hujus viri doctrina, et istorum
 Commentariorum utilitate disseritur.*- Genève, Eustache Vignon, 1573.
 B. N. F. : A-1738(1). Bibliothèque Sainte-Geneviève : A Fol 170 p. 2 Inv.
 238 Rés.

Est donné ici non une préface de J. Mercier mais le panégyrique que fit de lui Théodore de Bèze (texte qui se trouve dans l'édition de sa *Correspondance*, Genève, Droz, 1990, t. XIV, p. 296-302).

[f. ij r°]

Christiano lectori Th. Beza Vezelius, gratiam et pacem a Domino.

Quamvis in Theologicis res ipsas praecipue spectari deceat, ut non multum intersit quid a quo dicatur : modo vere dicatur : quum tamen ea fuerit magni illius Viri, cujus hunc commentarium edo, modestia, ut in Academia totius orbis Christiani celeberrima maxima cum laude versatus, fama quam scriptis celebrari maluerit, et vera scriptoris commendatio nonnihilo videatur studia lectorum accendere, dicendum hac de re mihi nonnihilo existimavi. Fuit Joannes hic Mercerus apud Occitanos honesto loco natus, et quum utranque linguam adhuc adolescens didicisset,

Jurisprudentiae addictus, quo tempore πρόχειρον Ἀρμενοπούλου feliciter admodum e Graeco in Latinum vertit, ut minime dubium sit quin si hoc studiorum genus persequi voluisset, celebritatem nominis non parvam, et opes inde fuerit consequuturus. Sed ut haec studia minime sint contemnenda, Dominus tamen illum, ut res ipsa postea comprobavit, sanctiori cuidam rei destinarat. Itaque Sacrarum literarum ac praesertim Hebraicae linguae studium amplexus, tanta diligentia, contentione, felicitate denique usus est, ut quum per id tempus *Franciscus Vatablus* quem studiosissime audierat, e vivis excessisset, Jo. Mercerus, postquam aliquot annos sese privatis praelectionibus exercuisset, omnium tandem doctorum consensu is esse videretur qui jacturam tanti viri morte acceptam, quantum in ea lingua nullum aetas nostra audierat, facile sarciret. Electus igitur illius in ordinario profitendae Sacrae linguae munere successor, vix credibile est quantum sese praestiterit, tradita etiam genuina Chaldaicae linguae analogia, quippe qui quatuor linguarum egregie peritus, ad incredibilem diligentiam acerrimum etiam iudicium attulisset. Accedebat autem ad magnam eruditionem summum pietatis studium, candidum ingenium, modestia singularis, vita prorsus inculpabilis, adeo ut, quamvis asperrimis illis temporibus Sacra non modo interpretaretur grammaticae, sed etiam Christiane explicaret, nec obscurum esset illum a Romana, quam vocant, religione dissentire (praesertim quoniam neglectis beneficiorum veneficiis quae *Vatablum* corruperant, uxorem duxerat, a quo vitae genere abhorretere consueverunt qui Sacras Literas illic discunt), sacrum tamen illum et inviolabilem, secundum Deum Opt. Max. amabiles ipsius mores praestiterint. Ita igitur vixit Vir optimus aliquandiu ipsis veritatis hostibus venerandus, summa fide munere suo defungens, sibi et auditoribus strenue laborans, quod aliquibus etiam scriptis declaravit, adeo ut ex ejus unius pene schola prodiisse constet quicumque in Galliis hodie paulo felicius hebraissant. Inciderunt postea bellorum civilium tempora, quibus ferventibus ita ipsum protexit Dominus et ipse vicissim se gessit, ut veluti miraculis repetitis servatus, ne aliud quicquam curarit quam studia, nec Academiae defuerit in maximis etiam tumultibus, quoties fuit aliquis docendi locus. Postremis autem bellis quae acerrima fuerunt, quum securitatem aliquam et otii praeterea nonnihil apud Clarissimum virum quendam nactus [Arnaud du Ferrier, ambassadeur à Venise de 1563 à 1582], Venetias usque excurrisset ut cum Hebraeis qui illic sunt de nonnullis conferret, admirationi ab illis maximae et Christianorum hebraissantium doctissimus, ut erat, habitus : Lutetiam eum denique ad suam stationem revertentem, suaque plurima scripta incredibili labore ex abditissimis Hebraeorum doctorum scriptis recognoscere et edere

meditantem, Dominus in ipsa ejus patria morbo correptum in alteram illam veram piorum omnium patriam evocavit, felicem sane et beatum, quem tantis mox secutis calamitatibus majorum etiam malorum praenuntiis, etsi nobis fortassis intempestiva, ipsi tamen peropportuna mors exemit. Non est tamen ille nobis totus ereptus, servatis aliquot ipsius laborum, id est, praelectionum monimentis, quas ille studiosissime sua manu describere quasi nimirum futurorum perfectiorum operum materiam solebat. Horum igitur nonnullas ex Clarissimi et optimi viri illius liberalitate nactus a quo durissimis illis temporibus ipsum servatum dixi, nihil habui antiquius quam ut tam pretiosa cum quibusvis communicarem. Etsi enim meliora ista proculdubio et politiora fuerat editurus, sunt haec tamen ejusmodi, nisi vehementer fallor, ut nulla fortasse meliora, istius quidem generis, habeamus. Placuit autem ab horum commentariorum editione auspiciari, dum alia, si Dominus dederit, in Genesin et Solomonis libros apparantur. Est enim liber iste Jobi quod omnes norunt, omnium Sacrorum librorum difficillimus, utqui non modo Theologum, verum etiam Hebraeae Chaldaicaeque linguae, Poetices, Dialectices, Rhetorices, Astronomiae, Physices denique bene peritum interpretem requirat. Nihil autem istorum ab hoc nostro Mercero fuisse neglectum lector eruditus facile deprehendet. In Theologicis adjutus est praecipue *Calvini* Gallicis in hunc scriptorem editis concionibus, quicum etiam frequentibus literis amicitiam coluit, et cujus acerrimum judicium maximi, sicuti par erat, facere consueverat. Genera dicendi, tropos praesertim et ornamenta poetica, tradit quam diligentissime, comparatis etiam cum Jobo Graecorum et Latinorum vatum scriptis, non quoties potuit, sed quoties oportere judicavit, ab omni videlicet ostentatione procul remotus. In Hebraeis proprie et significanter explicandis purus est et minime horridus, explanatis etiam vocum et ipsarum loquendi formularum rationibus, quas partim ex Hebraeorum commentariis hau-[f. iij r°]rit, partim ex suae diligentiae penu depromit. Loca Scripturae plurima inter se confert. Ex veterum et recentiorum Hebraeorum doctorum scriptis, quos Rabbinos vocant, et quos ipse diligentissime, ne Talmudicis quidem exceptis, legerat, nihil quod vere et utiliter observatum judicavit, praetermittit. Latinorum quoque tum vetustiorum tum neotericorum, ut Hieronymi [saint Jérôme], Lyrani [Nicolas de Lyre], et Aquinatis [saint Thomas d'Aquin] opiniones varias ac multiplices expendit, summoque judicio discutit, ab allegoriis illis distortis prorsus abstinet. Ut si mors illum digerere et expolire ista permisisset, perfectum meo judicio in hunc difficillimum scriptorem commentarium fuerimus habituri. Sed haec age omnia candido et diligenti lectori aestimanda relinquamus. Caeterum ne sua quidem laude

fraudandus *Cornelius* [Corneille Bentram] noster videtur, ejusdem Merceri quondam discipulus, et nunc meus in hac Ecclesia collega : Huic siquidem non parva ex parte debetur istius libri editio, quum vix alius reperiri potuisse videatur qui haec a Mercero minutissimis ac fugientibus pene literis in adversariis descripta, legendo consequeretur. Idem quoque Scripturae locos quicumque vel levissime in commentariis attinguntur, annotavit : Latinam eorum quae Hebraice citantur interpretationem adjecit, ut Hebraicae linguae imperitis consulere : quae ad explendam contextus sententiam interdum addi in Latina interpretatione necesse fuit, addito signo distinxit : denique quoties Mercerus Hebraici contextus voces pluribus Latinis exponit, eam quae proprie respondet Hebraeis a synonymis et aliis extra contextum adhibitis, minusculo caractere discrevit. Latina interpretatio ex magnis illis a *Rob. Stephano* [Robert I Estienne] editis Bibliis petita est, ut omnium accuratissima, cui siquis addi potuisse ac fortassis etiam debuisse Hebraica ipsa existimavit, sciat id a nobis certo consilio fuisse praetermissum. Quod superest, Lector, istis frui, et Deum nobiscum precare ut fidos Ecclesiae suae doctores in tantis ingrati mundi tumultibus adversus furentis Satanae rabiem et barbariem sanctis et honestis omnibus studiis imminentem conservet. Genevae, IX. Cal. Martii anno temporis ultimi 1573.

[A la suite :]

Joan. Merceri precatiuncula in librum Job.

Aeterne ac omnipotens Deus, qui res omnes in hac pulcherrima mundi machina semel à te conditas, ita deinceps admiranda tua providentia gubernas, ut nihil in orbe toto sit quod à tuo nutu et imperio non pendeat, atque in hominum maximè rebus moderandis singularem tuam sapientiam et potentiam eximiam declaras, qui et si hìc iustos saepe remunereris, et impios reprimas, saepe tamen contra ob ignotas nobis homuncionibus, tibi verò soli perspectas causas inexhausto et impervestigabili iudicio tuo illos quidem affligis, hos verò successibus fortunas et auges, effice pro solita in nos clementia, ut librum hunc in quo tantarum rerum mysteria in omnem partem agitata et disputata ad unguem discutiuntur, et tandem à teipso quae de his credi par sit, statuuntur, ita explicare et intelligere possimus, ut ex eo certò nobis persuadere discamus de tua prouidentia et iustitia nullatenus dubitandum, qua persuasionem fulti et subnixi nos nostraque omnia sic tibi committamus, ut tam secundis quàm aduersis rebus semper duremus, manum tuam agnoscentes : et in afflictione Iobi

patientiam imitantes, atque ob oculos nobis proponentes, cum eo tandem restituti duplicia feramus, vel hîc, vel si tibi aliter visum fuerit, in felici illa vita, quae nobis per Christum filium tuum parata est : per quem itidem haec ut nobis concedas postulamus, ut tuo afflato et directi Spiritu feliciter arduum hoc opus auspicemur, feliciùs in eo pergamus, et felicissimè absolvamus, in nostram omnium aedificationem et salutem et sempiternam nominis tui gloriam. Amen.

[f. a j r°]

Indices tres copiosissimi in Comm. Joann. Merc. in lib. Jobi quorum primus est insignium sententiarum et rerum, atque adeo regularum quarundam grammaticarum quae ad cognitionem linguae Hebraicae maxime conferunt. Secundus est vocum Hebraicarum quarum significatio ad unguem exigitur et explicatur : item et literarum ministrantium quarum usus declaratur. Atque in his prior numerus caput, posterior versum designat. Tertius est locorum qui ex aliis Sacris libris ad hunc illustrandum quam plurimi adferuntur, atque et ipsi fere exponuntur.

1573 : J. Mercier, *Commentarii in Salomonis Proverbia, Ecclesiasten et Canticum Canticorum.*

Joannis Merceri Regii quondam in Academia Parisiensi literarum Hebraicarum Professoris Commentarii In Salomonis Proverbia, Ecclesiasten et Canticum canticorum. Adjecimus ad calcem horum Commentariorum harmoniam siue Tabulas utilissimas in Proverbia et Ecclesiasten.- Genève, Eustache Vignon, 1573.

B. N. F. : A-1738(2) ; FB-25791. Bibliothèque Mazarine : 871 A.

[f. *ij r°]

Typographus christiano Lectori gratiam et pacem à Domino.

Deum Salomoni miram sapientiam indidisse, atque adeo infudisse legimus, ejusque aliquod specimen in historiis Sacris quae de eo extant, habemus : sed nunquam talem crederemus, qualis ab ipso Spiritu sancto praedicatur, nisi nos ejus scripta veluti in rem praesentem adducerent, ex quibus omnia pene sapienter graviterque a posteris quibusvis postea dicta vel scripta, tanquam ex penu quodam deprompta videri merito possint. In

Proverbiis certe hominum vitam et mores cujuscunque aetatis, sexus et conditionis sic informat, ut nihil ad ea praecepta adjici posse videatur. Sed illud potissimum eminet inter caetera, quod Verbi Dei auditionem et meditationem praecipue inculcat, ex quo primum pietatem in Deum, deinde sigillatim mutua inter se officia discant, cujusmodi Lex ipsa in genere proponit et praescribit : atque ne quid currentes avocet aut remoretur, cautiones adhibet illa experientia confirmatas, qua maxime valebat, quibus illi sibi ab impendentibus omnibus periculis prospiciant, ut et prudentissimi simul et sapientissimi evadant. In Ecclesiaste haec eadem, sed hoc postremum praeter caetera describit, eo demum omnia referens, quod est in morum doctrina praecipuum, ad summum videlicet bonum, quod frustra in hujus vitae commodis et usu quaeri docet, hominem plane a terra in coelum subvehens, ut spretis istis terrenis et caducis omnibus, veram illam beatitatem, coelestem et aeternam amplectatur, in quam Deus nostros spiritus inde nobis a se donatos ad se tandem recepturus sit. Itaque his duobus libris, imprimis omnes totius Ethicae disciplinae partes explicat, Ethicam videlicet proprie sic appellatam, quae de virtutibus tum in actione tum in contemplatione positae disserit : Politicam et Oeconomicam. Quin etiam interdum quaedam permiscet quae naturalis sunt philosophiae, Theologica identidem refricans. Verum enim munero quia Lex, quam Salomon, utpote Dei Propheta interpretandam et declarandam susceperat, Israelitas ad Messiam venturum, procul contemplandum et agnoscendum tanquam praecipuum sui scopum excitat, et assurgere jubet, istam quoque Legis partem quam fusissime exponit in Cantico canticorum : ubi tanquam praesentem illum suis Israelitis fruendum exhibet ! imo ut melius ab illis agnosceretur et ultro admitteretur, non modo certissima illius advenientis signa designat, sed et disertissime exprimit qualis jampridem, [f. *ij v°] id est, ab omnibus seculis fuisset, esset, et semper futura esset ejus in populum suum, hoc est in Ecclesiam, qualis etiam Ecclesiae erga eum propensio : qualis et quam arcta inter utrumque partim jam extet, jam aliquando futura sit conjunctio. Haec vero omnia proponit Salomon verbis tam appositis et significantibus, sententiis tam gravibus, tam lepidis figuris et scite picturatis tropis, ut eum non solum philosophum summum, et summum Theologum, sed et summum oratorem et poetam facile agnoscas, ac proinde absolutissimum Legis Dei interpretem et Prophetam : quod et de eo praedicarunt veteres Hebraeorum doctores, hoc etiam ausi dicere, neminem ante ejus tempora extitisse qui tam apte et convenienter Legem docuerit et exposuerit, eumque pene unicum videri qui genuinam Legis docendae et exponendae rationem tradiderit, sitque persequutus. Caeterum haec omnia quae

Salomon suis Israelitis proposuit, D. Mercerus noster ita eleganter interpretatur, ut difficilia (qualia sunt in his libris quamplurima) facillima reddat, et aliis sententiis e mediis verae Theologiae et philosophiae penetralibus depromptis illustret, quae vero per se facilia sunt, ita grata et suavia efficiat, ut nullus aut ista fastidire aut ab illis abhorreere possit. Ubique vero succinctissimos adhibet commentarios, desumptis etiam multis aliunde quae cum Salomone comparanda, et ad ejus praecepta philosophica exigenda sunt : ex Sacris autem confertissima et frequentissima loca cum Salomonis praeceptis confert, tum ut Salomonis apophthegmata declaret, tum ut et illa ex Salomonis sapientia illustret. Ex Hebraeorum commentariis non solum seligit interpretationes magis appositae, sed et verborum et vocum propriam significationem depromit : qua in re maxime laudanda est istius hominis diligentia. Sunt enim in Salomone quam plurimae diversae voces, et diversa significantes, et apud alios Sacros scriptores minus usitatae, imo et Syriacae et Arabicae, quin etiam ab ipso Salomone feliciter ac divinitus innovatae, quas omnes sic explicat noster Mercerus, ut nihil in eo merito desideres vel accuses. Quod ad Theologorum nostrorum et recentiorum et veterum expositiones, quam permultae sunt et variae, modeste pro suo more sic illas attingit, ut quid ex illis retinendum sit, quid item omittendum pulchre designet : praesertim ubi ad allegorias veniendum est, quae quales, quomodo, et quibus locis admittendae sint, demonstrat. Denique quia in his libris quaedam insunt partim ab atheis ad suam impietatem astruendam, partim a scurris impuris ad suas facetias (nequid dicam gravius) hominibus probandas detorta, quaedam etiam a theologastris quibusdam ad suos errores confirmandos pertracta, illa omnia ita scite exponit, ut in quo illi omnes accusandi, docendi et admonendi sint, sagacissime et convenientissime tum personis tum rebus explicet. Quod autem attinet ad horum commentariorum editionem, eam prorsus in illa rationem quam in commentariis in librum Job, sequuti sumus. Quem nostrum laborem bonis neque inutilem, neque ingratum futurum speramus. Bene vale lector Christiane quisquis es, et his fruere. Genuae, XV. Augusti, Anno, 1573.

[f. F, à la fin]

Harmonia sive tabulae in duos Salomoni libros Proverbia
et Ecclesiastem utilissimae
Lamberto Danaeo autore.

1580 : Harmenopulus, *Promptuarium Juris civilis*.

Constantini Harmenopuli Promptuarium Juris Civilis, latine redditum a Joanne Mercero. Indicatis passim ad marginem Legibus nostri juris cum quibus haec consonant, et unde primum sunt petita. Adjecti sunt ad levandum studiosorum laborem duo Indices copiosissimi.- Lausanne, François le Preux, 1580.

Bibliothèque Mazarine : 27267.

Mêmes textes que dans l'édition de 1556 (Lyon, Mathieu Bonhomme).

1583 c. : J. Mercier, *Commentarii [...] in Prophetas quinque priores inter eos qui minores vocantur*.

Jo. Merceri in acad. Paris. non ita pridem Hebr. linguae professoris regii, Commentarii locupletiss. in Prophetas quinque priores inter eos qui minores vocantur. Quibus adjuncti sunt aliorum etiam et veterum (in quibus sunt Hebraei) et recentium Commentarii, ab eodem excerpti.- [Genève, Henri II Estienne], s. d. [c. 1583].

B. N. F. : A-1736(2). Bibliothèque Mazarine : 871 pièce 2. Bibliothèque Sainte-Geneviève : B Fol. 310 Inv. 400.

[f. non paginé]

Petrus Chevalerius christiano lectori.

Joannes Mercerus, cujus nunc prodeunt Commentarii in quinque Prophetas priores inter illos qui minores vocari solent, linguae Hebraicae professionem Parisiis per annos aliquot exercuit, eoque munere summa cum laude functus est. Quum autem suas praelectiones diligenter describere solitus esset, fecit ut quae tum temporis auditoribus duntaxat utiles esse poterant, nunc omnibus, qui earum lectores esse volent, fructum afferre possint. Quantus autem fructus ille sit, te ex ipsa hujus operis lectione, quam ex mea commendatione intelligere malo. Imo vero hinc eo etiam major quam ex praelectionibus a te percipietur, quo haec magis elaborata et locupletiora sunt, quam quae ex ore illius prodierunt. Ipse autem Mercerus, quantus vir fuerit, vel illi ejus in Jobum Commentarii qui jam prodierunt, satis testantur. Quum enim liber ille, omnium sacrorum librorum sit difficillimus, ut qui non modo theologum (sicut epistola illi praefixa docet) verum etiam Hebraicae Chaldaicaeque linguae, poetices,

dialectices, rhetorices, astronomiae, physices denique peritum interpretem requirat : nihil eorum quae ex harum aliqua peti debebant, fuit ab illo praetermissum. Quod si quis plura de eo scire cupit, eandem illam epistolam consulere poterit. Neque vero suos Commentarios nobis dare contentus fuit, sed ex aliis etiam doctoribus, partim vetustis partim recentibus, enarrationes seu commentationes illis addidit, aut ea saltem quae in illis utilissima et scitu dignissima esse perspexit, summo in illis excerptis iudicio usus. Rabbiorum autem scholia (quae illi Peruschim vocant) integra et ad verbum interpretata exhibuit, viam ad intelligenda alia etiam eorum scripta ejusdem generis sternens. Sed quoniam illi suas quasdam grammaticas phrases habent, quae multis, qui non valde in eorum lectione sunt exercitati, facessere negotium possent, brevem hîc quarundam explicationem subjungere visum est : et quidem earum potissimum quae variis in locis occurrunt, quanvis ex unico a me in exemplum afferantur. [suit une longue série de précisions lexicales du texte hébreu]. [v°] Sciat autem lector, in illis Rabbiorum scholiis non esse adscriptum margini, unde sint qui ab illis citantur loci, quod ex eorundem per Robertum Stephanum [Robert I Estienne] editione peti possint.

1587 : Harmenopulus, *Promptuarium juris*.

Πρόχειρον νόμων Κωνσταντίνου Ἀρμενοπούλου. *Promptuarium Juris, Constantino Harmenopulo authore. Interprete Joanne Mercero. Dionysii Gothofredi J.C. Paratitla ad singulos Constantini Harmenopuli titulos. Variarum lectionum libellus ad eundem authorem Nomenclator Graecarum dictionum Juris, ad eundem Harmenopulum.*- [Genève], Guillaume Laimarie, 1587.

B. N. F. : F-5178 ; Rés. F-886(2).

Texte de Denis Godefroy qui précise l'intérêt de cette nouvelle édition :

[f. ij r°]

Clarissimo et ornatissimo viro, Hugoni Langloiso, amplissimi Burgundiae senatus patrono disertissimo, Dyonisius Gothofredus I. C. S.

Juris civilis artem (vir clarissime) variam et diffusam, hi maxime conqueruntur, quibus juris profitendi necessitatem vel ipsa electio, vel

casus imposuit. His origo, res ipsae, cum divinae, tum humanae : in quibus cognoscendis atque componendis ars nostra tota occupata est. Ac divinarum quidem summa constantia est, nisi qua mens aut voluntas hominis inconstantiam temere et impie adscivit. In his autem hoc est, humanis, summa varietas est, (sunt enim hominum) quibus nec una semper nec eadem honesti utilisque species ac ratio est. Eo factum ut dum quaeque civitas in eo quod sibi suisque maxime expediat, quaerendo, sollicita atque intenta est, et ab eo jure, quod omnium hominum, imo quod et naturae sit, discesserit : et jus aliquod proprium ac peculiare sibi constituerit, discretum, sejunctumque a caeteris. Fit etiam, ut eo constituto ac perscripto interpretatio fori quaeratur : hoc est, non [f. ij v^o] unius aut alterius, sed multorum : nec quorumvis, sed eorum qui in rebus ipsis versati, prudentum : quorum, si cujusquam esse poteste ac debet, munus id maxime, jus ipsum interpretari, posterisque tradere. Quaeratio Harmenopulum, quem nunc locupletiozem edimus, juris studiosis dignum reddet commendatione majore. Nam et jus, quod pertractat, bona ex parte, gentium omnium est : eoque compendio elaboratum, ut legentibus voluptati, vix molestiae aut taedio esse possit. Et alioqui magistratus, quo apud Thessalonicenses functus est, nobis indicio est, ea potissimum in scribendo delegisse, quae ad usum resque quotidianas conferret. Quorum (vir clarissime) iudex aequissimus esse potes, cujus peritiam in jure, amplissimus Burgundiae senatus : fidem, clientes : opem, amici experti. De me hoc palam profitebor, non nisi meliorem et eruditorem factum abste unquam discessisse. In his visum mihi, ut quicquid operae ac laboris in Harmenopulum mihi constitisset, id omne meritissimo tibi : et gratissimo quondam hospiti libens atque ex animo offerrem. Non dubito quin hoc, pignus mei erga te amoris habiturus sis. Vale. Datum ex museo Kal. Mart. 1587.

[f. iij r^o]

Ad lectorem.

Constantinum Harmenopulum, lector, juris civilis authoribus Graecis ac praecipuis adnumerandum, qua per temporis occupationes licuit, Graecis et Latinis ejus capitibus inter se παραλλήλως respondentibus, exhibui : ut spero, multis locis partim ingenio, partim veterum collatione, partim beneficio Codicis, mihi a *Jacobo Lectio* [Jacques Lect], clarissimo viro patricio ac senatore : et in juris professione collega amantissimo, communicati, restitutum. Paratitla, sed et Nomenclatorem Graecarum juris

dictionum, satis concise, ut πρόχειρον esse putes et specimen majoris operis exaratum adjeci. Fruere lector, et vale.

1595 : Horapollon, *Hieroglyphica*.

Hieroglyphica Horapollinis a Davide Hæschelio [David Hæschel] Fide Codicis Augustani ms. correctæ, suppleta, illustrata [cum notis et interpretatione latina Joannis Mercerii].- Augustae Vindelicorum [Augsburg], ad insigne pinus, 1595.

B. N. F. : Rés. Z-3498. Bibliothèque Mazarine : 11201.

[verso de la page de titre]

Hieroglyph. Horapollinis libri II Graece et Horum versio latina
Joan. Merceri.

[p. 132 bis]

In Horapollinem observationes Joannis Merceri.

[p. 166]

Atque hîc nostrarum observationum finis sit. Quas (etsi non ipsis omnia quae in hoc autore mutila erant, loca restituimus) eo tamen nomine, boni, lector, consules ; quod non totum librum primum vetus exemplar, a doctiss. et diligentiss. homine Guil. Morelio nobis oblatum, habuerit, et Venetianum exemplar, unde haec transcripta sunt, multis scatebat mendis atque haud scio an paucioribus, quam jam a multis annis hîc typis mandatum fuerat. Tu interim bene vale, et his fruere.

1598 : J. Mercier, *In Genesin primum Mosis librum, [...], Commentarius*.

Joannis Merceri Regii quondam in Academia Parisiensi literarum Hebraicarum Professoris Eruditissimi, Diligentissimi, et in primis verae Religionis cultoris, in Genesin primum Mosis librum, sic a Graecis Appellatum, Commentarius. Nunc primum in lucem editus, Addita Theodori Bezae praefatione.- [Genève], Mathieu Berjon, 1598.

B. N. F. : Microfilm R-87449 ; Microfilm M-5510 ; A-949 ; A-1736(1).
Bibliothèque Sainte-Geneviève : B. Fol. 508 Inv. 625.

[p. 12-13]

Christiano lectori Theodorus Beza gratiam et pacem a domino.

Annus agitur circiter vicesimus quintus, ex quo hujus ipsius summi viri Joannis Merceri Commentarios in Jobum, et tres illos nobilissimos sapientissimi Solomonis libros, id est, maximum profecto thesaurum, toti Ecclesiae Dei utendum, fruendum praebui. Quidni enim sic appellem vere magnas illas opes, quas vir ille incredibili diligentia ex eruditissimae vetustatis intimis arcanis erutas, summo judicio ad illorum longe maximi momenti sacrorum librorum explicationem contulit : nec ore loquens auditoribus suis cognoscendas praebuisse contentus, tandem quoque chartis, ab omnibus legendas, et accurate spectandas tradidit ? Eadem vero nunc caussa, id est, propagandae in Ecclesia veritatis divinae studium, mihi persuasit, ut hunc quoque ejusdem illius summi viri laborem nactus, quo librum illum inter omnes sacros pretiosissimum mirifice illustravit, in lucem emitterem. Etsi enim, summo Dei beneficio, liber iste, non tantum a veteribus illis, verum etiam inprimis ab aliquot summis aetatis nostrae Theologis est pererudite, quod ad doctrinam in eo comprehensam attinet, explicatus : fatendum tamen est nondum quenquam apparuisse, qui satis accurate ipsas sacri contextus voces ad ipsius sanctae linguae proprietatem et verum usum exigeret : aliis Graecam interpretationem, plurimis certe locis non satis puram, immo etiam in alteram Latinam infeliciter transfusam, sequutis : aliis Hieronymi Latinam merito quidem amplexis, sed ita ut, propter Hebraicae linguae imperitiam, in ea prorsus acquieverint : quorum licet praestantissimorum Theologorum, scripta qui cum Hebraeo ipso contextu comparant, multa coguntur ut praeterita, aut non satis diligenter expensa, non pauca obscure translata, quaedam etiam (quod nulla cum obtrectione dictum sit) perperam intellecta, in illorum scriptis desiderare. Tanti fuit momenti ipsum Mosen, vel potius Spiritum ipsum sanctum per os Mosis Hebraice loquentem, quam ipsius interpretes, sive Graecos, sive Latinos, audire. Huic autem incommodo ita nunc mihi quidem videtur Mercerus hic noster tale et tam opportunum remedium in his suis Commentariis attulisse, ut haud satis sciam, an quidquam praeterea in hoc scribendi genere merito possit, a morosissimis etiam ipsarum sacri contextus vocularum et phraseon proprietatis observatoribus,

requiri : adeo diligenter ille, immo pene dixerim curiose, singula ex doctissimis Hebraeis Grammaticis eruit, et felicissimo iudicio explorata discernit : ut merito dubitare possit lector, sitne vir iste magis ab exacto verum a falso, et ineptum ab eo quod vere et apte dicitur, discernendi acumine, quam a summa sanctissimae illius linguae cognitione, et pari in singulis annotandis diligentia commendandus. Neque vero dubito, quin hic nonnulli me quoque ut Judaizantem arguant, quod ab Hebraeis demum quantumvis alioqui divinae illius veritatis, justo Dei iudicio, tum ignaris, tum etiam [p. 13] desperatissimis hostibus, cujus tamen thesaurum inscientes, ipsi nobis potius, quam sibi, custodiunt, petendam esse Hebraeae linguae proprietatis et veri usus cognitionem censeam. Sed garriant isti licet, plane importunum bestiarum genus, sic tamen sese rem habere affirmo, et omnes recto iudicio praeditos mihi in hoc ipso assensuros confido, quod ipsosmet ex suis ipsorum infinitis erratis didicisse jampridem oportuit. Quod si huic viro immatura morte sublato, Dominus hoc etiam esset largitus, ut istas suas commentationes quas in adversaria duntaxat coniecerat, expoliret, et in iusti Commentarii formam redigeret, Ecclesia profecto nunc ista, quae fortasse, si cum caeteris ejusmodi scriptis comparentur, optima videri possunt, haberet optimis etiam ipsis meliora. Caeterum quam sit rerum in isto inter sacros libros, ut tempore et ordinis serie, sic etiam argumenti praestantia et dignitate primo gestarum narrationis explicatio prorsus necessaria, illud saltem ostendit, quod hinc pendeat ipsius rerum omnium conditarum originis historia : cujus ignoratio quantas in ipsius naturae pervestigationem tenebras, immo quae deliriorum portenta invexerit, is demum intelliget, qui hanc ab ipso Deo dictatam historiam cum fabulosis illis ipsorum quoque summorum Philosophorum scriptis comparavit. Sed et istud in primis ex eo constat, quod omnia verae Religionis, propter cujus praecipue cultores mundus iste conditus est, capita, ad principia hoc libro comprehensa, necessario referantur, immo velut in ea resolvantur : adeo quidem ut idipsum vere piis omnibus, id est, Ecclesiae, praestet hic liber, quod omnium linguarum notitiae ipsa literarum cognitio, quam Alphabetum vocant. Et rursus quam in ipsa contextus verborum et phraseon explicatione, necessario, et quidem in primis sit laborandum, res ipsa demonstrat. Pendet enim certe a vera et conveniente ipsius contextus explicatione, tota Theologiae *δογματικῶς* inde eruendae ratio, et quae inde, adhibitis locis, quos vocant, Communibus, disputationes, exhortationes, consolationes usurpantur : quod quicumque, vel in semetipsis, vel in aliis erudiendis facere negligunt, magnam certe reprehensionem merentur. Verissimum

enim et hic quoque proverbium illud, Nucem frangat oportet, qui nucleum esse vult. Nucem igitur ausim dicere nostrum hunc Mercerum, memoria digna sempiterna, inter caeteros fregisse. Hujus autem nucleum ex summis illis nostrae praesertim aetatis Theologis edendum petas licebit, Christiane Lector : quod beneficium utinam tibi, quisquis es, Optimus ille Dominus et Servator noster quam benignissime ad nominis sui gloriam, et communem piis omnibus salutem sempiternam largiatur. Geneuae Calendis Martii, Anno ultimae Dei patientiae MDXCVIII.

[non paginé ; suit l'Index rerum et verborum]

Typographus benevolo lectori.

Quod multos annos plerosque Typographos deterruerat, propter auctoris κακογραφίαν neglectum opus, soceri mei Davidis Claudi suasu hortatu, fretus tamen ejus industria, sum aggressus. Sed quod metuebant fere omnes, accidit, ut in opere difficili quaedam menda exciderint. Horum ea quae lectoris diligentiam remoratura videbantur, emendavimus : reliqua vero levia typographica lectorem, ut ipse emendet, plurisque nostrum studium faciat, quam mendas severius exagitet, etiam atque etiam rogamus.

1600 : Harmenopulus, *Promptuarium juris*.

Πρόχειρον νόμων Κωνσταντίνου Ἀρμενοπούλου. *Promptuarium Juris Constantino Harmenopulo authore Interprete Joanne Mercero. Dionysii Gothofredi J.C. Paratitla ad singulos Constantini Harmenopuli titulos. Variarum lectionum libellus ad eundem autorem. Nomenclator Graecarum dictionum Juris, ad eundem Harmenopulum.* - Genève, héritiers d'Eustache Vignon, 1600.

B. N. F. : F-5179.

Même édition que celle de Genève (Guillaume Laimarie, 1587).

1621 : *Hoseas propheta Ebraice et Chaldaice*.

Hoseas propheta Ebraice et Chaldaice. Cum duplici versione Latina : et Commentariis Ebraïcis trium Doctissimorum Judeorum ; Masora item parva, ejusque et Commentariorum Latina quoque interpretatione.

Accedunt in fine succinctae sed necessariae annotationes Gulielmi Coddae [Willem van der Codde]. In eorum omnia gratiam qui scripta Rabbiorum cupiunt intelligere.- Leiden, François II Raphelengien pour Jean Maire, 1621.

B. N. F. : Rés. A-2720.

[f. (*) r°]

Ad studiosum lectorem
Praefatio.

Multi extant doctissima Ebraeorum in veteris Testamenti libros Commentaria, quorum bona pars in majoribus Bibliis Venetis, nuper Basileae recensis, reperitur. Ea cum magnam lucem nobis etiam Christianis, in sacrorum scriptorum lectione, afferre possint, uti abunde testantur vel sola Joannis Merceri, et Andreae Masii [Andreas Masius] in libros quosdam sacros Commentaria : opera omnino danda est iis, qui contextum Biblicum solide volunt intelligere, vel aliis explicare, ut illa quoque intelligant. Quod ii qui purum Ebraeismum mediocriter didicerunt, facile, et paucis omnino diebus efficere possunt ; maxime si nobiliorem aliquem contextum Rabbicum habeant, cui versio Latina respondeat : [f. (*) v°] qualis cum haberi hactenus difficulter potuerit, operae pretium esse judicant viri eruditi, ut in hunc finem quaedam ex Commentariis trium doctissimorum Rabbiorum, Salomonis inquam Iarhi, Aben Ezrae et Davidis Kimhi, separatim evulgentur, quam ad rem cum summe idonea judicentur commentaria eorum in prophetiam Hoseae ; visum ea nunc fuit edere, cum accuratissima versione Latina viri Clarissimi Joannis Merceri ; praemisso contextu Ebraeo, cum versione Latina *Santis Pagnini* quod ea quam proxime ad verba Ebraea accedat. Cum autem Chaldaica Paraphrasis Jonathanis passim in Commentariis citetur, et sermo etiam Rabbicus, a Chaldaico haud pauca mutuetur, necessarium omnino fuit, eam Paraphrasin hic quoque apponere : id quod fecimus non ex editione Veneta, aliave minus emendata, sed ex nupera Basiliensi, in qua Clarissimi Viri [f. (*3) r°] D. *Buxtorfi* [Johan I Buxtorf] labore atque industria, totius Targi Chaldaici punctatura ab innumeris mendis repurgata, et integritati suae restituta est. Adjunximus quoque ei versionem Latinam accuratam, ex Bibliis magnis Antwerpianis. Quin et textui Ebraeo Masoram quem vocant parvam, ex *Roberti Stephani* [Robert I Estienne] editione apposuimus, cum versione quoque Latina, ut qui in scriptis Masoreticis versari volet,

habeat quoque in quo initio sese exerceat. Tu benevole Lector, si Judaicae Litteraturae studiosus es, his frui, libellum hunc diligenter lege, neque dubita quin eo bene lecto et intellecto, facile tibi, et jucundum futurum sit, in reliquis, tum horum, tum aliorum Rabbiorum versari scriptis. Vale [sans date].

[non paginé]

Auctorum et librorum qui in hisce commentariis citantur,
juxta seriem literarum Alphabeti index.

[puis :] Errata hoc modo corrigenda sunt.

[puis :] Reliqua, benevole Lector, per te facile animadvertes et corriges : nam quod in locis scripturae citatis in commentariis interdum leviter erratum est, id parum est ; cum opposita pagina Ebraea vel Latina, ea fere ubique incorrupta exhibeat. Vale.

1651 : J. Mercier, *Commentarii in Jobum et Salomonis Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum.*

Joannis Merceri Regii quondam in Academia Parisiensi Litterarum Hebraicarum Professoris, Commentarii in Jobum et Salomonis Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Opus antehac duobus voluminibus editum ; nunc in unum corpus redactum, et a mendis Hebraicis, quibus scatebat, purgatum.- Amsterdam, Lodewijk III Elzevier, 1651.

B. N. F. : A-1737.

[f. *2 r° :]

Typographus [Louis Elzevier] Lectori.

Amice Lector, Vino vendibili non opus est suspensa hedera, vulgatum est dictum : ita hoc, quod tibi nunc sistimus, recusum et nitidissima veste indutum, Joh. Merceri Commentariorum in Jobum et Salomonis Triteuchum opus, non multis eget commendari praeconiis : qui tamen aliquid praefari, moris est consueti. Faciam hoc verbis magni *Bezae*, qui in prioris editionis praefatione sic ab ipso Commentariorum *Authore* orditur. Fuit [correction en marge : quis fuerit] *Joannes Mercerus* apud Occitanos

honesto loco natus, et quum utramque linguam adhuc adolescens didicisset, *Jurisprudentiae* addictus, quo tempore feliciter admodum e *Graeco* in Latinum vertit : ut minime dubium sit, quin, si hoc studiorum genus persequi voluisset, celebritatem nominis non parvam, et opes inde fuerit consequuturus. Sed ut haec studia minime sint contemnenda, *Dominus* tamen illum, ut res ipsa postea comprobavit, sanctiori cuidam rei destinarat. Itaque *Sacrarum literarum* ac praesertim *Ebraicae linguae* studium amplexus, tanta diligentia, contentione, felicitate denique usus est, ut quum per id tempus *Franciscus Vatablus*, quem studiosissime audierat, e vivis excessisset, *Joh. Mercerus*, postquam aliquot annos sese privatis praelectionibus exercuisset, omnium tandem doctorum consensu is esse videretur, qui jacturam, tanti viri morte acceptam, quantum in ea lingua nullum aetas nostra audiverat, facile farciret. Electus igitur illius in ordinario profitendae *Sacrae linguae* munere successor, vix credibile est, quantum sese praestiterit, tradita etiam genuina Chaldaicae linguae analogia, quippe qui quatuor linguarum egregie peritus, ad incredibilem diligentiam acerrimum etiam judicium attulisset. Accedebat autem ad magnam eruditionem summum pietatis studium, candidum ingenium, modestia singularis, vita prorsus inculpabilis, adeo ut quamvis asperrimis illis temporibus *Sacra* non modo interpretaretur Grammaticae, sed etiam Christianae explicaret, nec obscurum esset illum a Romana, quam vocant, religione dissentire (praesertim quoniam neglectis beneficiorum veneficiis, quae Vatablum corruperant, uxorem duxerat, a quo vitae genere abhorre consueverunt qui Sacras literas illic discunt) sacrum tamen illum et inviolabilem, secundum *Deum Opt. Max.* amabiles ipsius mores praestiterint. Ita igitur vixit Vir optimus aliquandiu ipsis veritatis hostibus venerandus, summa fide munere suo defungens, sibique et auditoribus strenue laborans, quod aliquibus etiam scriptis declaravit, adeo ut ex ejus unius pene schola prodiisse constet, quicumque in *Galliis* hodie paulo felicius *ebraïssant*. Inciderunt postea bellorum civilium tempora, quibus ferventibus, ita ipsum protexit Dominus et ipse vicissim se gessit, ut veluti miraculis repetitis servatus, nec aliud quicquam curarit quam studia, nec *Academiae* defuerit in maximis etiam tumultibus, quoties fuit aliquis docendi locus. Postremis autem bellis, quae acerrima fuerunt, quum securitatem aliquam et otii praeterea nonnihil apud *Clarissimum Virum* quendam nactus, *Venetias* usque excurrisset, ut cum *Hebraeis*, qui illic sunt, de nonnullis conferret, admirationi ab illis maximae, et Christianorum *ebraïssantium* doctissimus, ut erat, habitus : *Lutetiam* eum denique ad suam stationem revertentem, suaque plurima scripta incredibili labore

ex abditissimis Ebraeorum doctorum scriptis recognoscere et edere meditantem, Dominus in ipsa ejus patria morbo correptum, in alteram illam veram pierum omnium patriam evocavit : felicem sane et beatum ! quem tantis mox secutis calamitatibus, majorum etiam malorum praenuntiis, etsi multis intempestiva, ipsi tamen peropportuna mors, exemit. Non est tamen ille orbi totus ereptus, servatis aliquot ipsius laborum, id est, praelectionum monumentis, quas ille studiosissime sua manu describere quasi nimirum futurorum perfectiorum operum materiam solebat. Ex his non infimae notae sunt praesentes in *Iobum* ac *Salomonem Commentarii*. Est sane liber *Jobi*, quod omnes norunt, omnium Sacrorum librorum difficillimus, utqui non modo *Theologum*, verum etiam *Ebraeae Chaldaicaeque* linguae, *Poëtices*, *Dialectices*, *Rhetorices*, *Astronomiae*, *Physices* denique bene peritum interpretem requirat. Nihil autem istorum a Doctiss. *Mercero* fuisse [f. *2 v^o] neglectum, Lector eruditus facile deprehendet. In *Theologicis* adjutus est praecipue *Calvini* Gallicis in hunc scriptorem editis concionibus, quicum etiam frequentibus literis amicitiam coluit, et cujus acerrimum judicium maximi, sicuti par erat, facere consueverat. Genera dicendi, tropos praesertim et ornamenta Poëtica, tradit quam diligentissime, comparatis etiam cum *Jobo Graecorum* et *Latinorum* vatum scriptis, non quoties potuit, sed quoties oportere judicavit, ab omni videlicet ostentatione procul remotus. In *Ebraeis* proprie et significanter explicandis purus est et minime horridus, explanatis etiam vocum et ipsarum loquendi formularum rationibus, quas partim ex *Ebraeorum* commentariis haurit partim ex suae diligentiae penu depromit. Loca *Scripturae* plurima inter se confert. Ex veterum et recentiorum *Ebraeorum* doctorum scriptis, quos *Rabbinos* vocant, et quos ipse diligentissime, ne *Talmudicis* quidem exceptis, legerat, nihil quod vere et utiliter observatum judicavit, praetermittit. *Latinorum* quoque, tum vetustiorum, tum neotericorum, ut *Hieronymi*, *Lyrani*, et *Aquinatis*, opiniones varias ac multiplices expendit, summoque judicio discutit, ab allegoriis illis distortis prorsus abstinet, ut, si mors illum digerere et expolire ista permisisset, perfectum in hunc difficillimum scriptorem commentarium fuisset habituri. Nec minus laboravit in explanando *Salomone*, Regum omnium, imo et mortalium, sapientissimo, eruditissimus *Mercerus*. *Deum Salomoni* miram sapientiam indidisse, atque adeo infudisse legimus, ejusque aliquod specimen in historiis Sacriis, quae de eo extant, habemus : sed nunquam talem crederemus, qualis ab ipso Spiritu Sancto praedicatur, nisi nos ejus scripta veluti in rem praesentem adducerent, ex quibus omnia pene sapienter graviterque a posteris quibusvis postea dicta vel scripta, tanquam

ex penu quodam deprompta videri merito possint. In *Proverbiis* certe hominum vitam et mores cujuscunque aetatis, sexus et conditionis sic informat, ut nihil ad ea praecepta adjici posse videatur. Sed illud potissimum eminet inter caetera, quod *Verbi Dei* auditionem et meditationem praecipue inculcat, ex quo primum pietatem in *Deum*, deinde sigillatim mutua inter se officia discant, cujusmodi *Lex* ipsa in genere proponit et praescribit : atque ne quid currentes avocet aut remoretur, cautiones adhibet illa experientia confirmatas, qua maxime valebat, quibus illi sibi ab impendentibus omnibus periculis prospiciant, ut et prudentissimi simul et sapientissimi evadant. In *Ecclesiaste* haec eadem, sed hoc postremum praeter caetera describit, eo demum omnia referens, quod est in morum doctrina praecipuum, ad summum videlicet bonum, quod frustra in hujus vitae commodis et usu quaeri docet, hominem plane a terra in coelum subvehens, ut, spretis istis terrenis et caducis omnibus, veram illam beatitatem, coelestem et aeternam amplectatur, in quam Deus nostros spiritus inde nobis a se donatos ad se tandem recepturus sit. Itaque his duobus libris, imprimis omnes totius *Ethicae* disciplinae partes explicat ; *Ethicen* videlicet proprie sic appellatam, quae de virtutibus tum in actione tum in contemplatione positae disserit ; *Politicen* et *Oeconomicen*. Quin etiam interdum quaedam permiscet quae *naturalis* sunt *Philosophiae*, *Theologica* identidem refricans. Verumenimvero, quia *Lex*, quam *Salomon*, utpote Dei propheta, interpretendam et declarandam susceperat, *Israëlitae* ad *Messiam* venturum, procul contemplandum et agnoscendum, tanquam praecipuum sui scopum, excitat, et assurgere jubet, istam quoque *Legis* partem quam fusissime exponit in *Cantico canticorum* : ubi tanquam praesentem illum suis *Israëlitae* fruendum exhibet : imo ut melius ab illis agnosceretur et ultro admitteretur, non modo certissima illius advenientis signa designat, sed et disertissime exprimit, qualis jampridem, id est, ab omnibus seculis fuisset, esset, et semper futura esset, ejus in populum suum, hoc est, in *Ecclesiam*, qualis etiam Ecclesiae erga eum propensio : qualis et quam arcta inter utrumque partim jam extet, partim aliquando futura sit, conjunctio. Haec vero omnia proponit *Salomon* verbis tam appositis et significantibus, sententiis tam gravibus, tam lepidis figuris, et scite picturatis tropis, ut eum non solum *Philosophum* summum, et summum *Theologum*, sed et summum *Oratorem* et *Poëtam* facile agnoscas, ac proinde absolutissimum *Legis Dei Interpretem* et *Prophetam* : quod et de eo praedicarunt veteres *Ebraeorum* Doctores, hoc etiam ausi dicere, neminem ante ejus tempora extitisse qui tam apte et convenienter *Legem* docuerit et exposuerit, eumque pene unicum videri, qui genuinam

Legis docendae et exponendae rationem tradiderit, sitque persequutus. Caeterum, haec, omnia, quae *Salomon* suis *Israëlitis* proposuit, praestantissimus *Mercerus* ita eleganter interpretatur, ut difficilia (qualia sunt in his libris quamplurima) facillima reddat, et aliis sententiis e mediis verae *Theologiae* et *Philosophiae* penetralibus depromptis illustret ; quae vero per se facilia sunt, ita grata et suavia efficiat, ut nullus aut ista fastidire aut ab illis abhorreere possit. Ubique vero succinctissimos adhibet commentarios, desumptis etiam multis aliunde, quae cum *Salomone* comparanda, et ad ejus praecepta *Phi*-[f. *3 r°]*losophica* exigenda sunt : ex *Sacris* autem confertissima et frequentissima loca cum *Salomonis* praeceptis confert, tum ut *Salomonis* apophetgmata declaret, tum ut et illa ex *Salomonis* sapientia illustret. Ex *Ebraeorum* commentariis non solum seligit interpretationes magis appositae, sed et verborum et vocum propriam significationem depromit : qua in re maxime laudanda est istius hominis diligentia. Sunt enim in *Salomone* quam plurimae diversae voces, et diversa significantes, et apud alios sacros scriptores minus usitatae, imo et *Syriacae* et *Arabicae* : quinetiam ab ipso *Salomone* feliciter ac divinitus inovatae, quas omnes sic explicat eximius *Mercerus*, ut nihil in eo merito desideres vel accuses. Quod ad *Theologorum* nostrorum et recentiorum et veterum expositiones, quae permultae sunt et variae, modeste pro suo more sic illas attingit, ut quid ex illis retinendum sit, quid item omittendum, pulchre designet : praesertim ubi ad allegorias veniendum est, quae, quales, quomodo, et quibus locis admittendae sint, demonstrat. Denique, quia in his libris quaedam insunt, partis ab atheis ad suam impietatem astruendam, partim a scurris impuris ad suas facetias (ne quid dicam gravitus) hominibus probandas, detorta, quaedam etiam a theologastris quibusdam ad suos errores confirmandos pertracta, illa omnia ita scite exponit, ut in quo illi omnes accusandi, docendi, et admonendi sint, sagacissime, et convenientissime, tum personis, tum rebus, explicet. Hoc superest, Lector benevole, ut benigno animo hos *Commentarios* excipias. Vale. Amstelod. pridie Kal. Junias 1651. Stylo novo. Tuus ex asse. Ludovicus Elsevirius.

1651 : J. Mercier, *Commentarii in Jobum et Salomonis Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum.*

Joannis Merceri Regii quondam in Academia Parisiensi Litterarum Hebraicarum Professoris, Commentarii in Jobum et Salomonis Proverbia,

Ecclesiasten, Canticum Canticorum. Opus antehac duobus voluminibus editum ; nunc in unum corpus redactum, et a mendis Hebraicis, quibus scatebat, purgatum.- Leiden, Frans Haack, 1651.

B. N. F. : A 928. Bibliothèque Sainte-Geneviève : B. Fol. 509 Inv. 626 Rés.

L'imprimeur [Frans Haack] à D. Arnoldo Wittens :

[f. *2 r°]

Spectatissimo, eruditione et pietate, insigni viro,
D. Arnoldo Wittens, I. V. D. Theologo et Litteratori eximio.

Sisto tibi atque offero, *Vir doctissime*, typis meis recusus, *Joh. Merceri*, in *Iobum*, et *Salomonis Proverbia*, *Ecclesiasten*, et *Canticum Canticorum*, *Commentarios* : Dedicacionis causas non arcessam longius, qui probe novi, quot et quanta extent tua in me officia ac merita, quae me tibi reddunt devinctissimum : non patitur singularis tua et fine exemplo modestia, plenis bucis ea ebuccinare : hoc tamen silentio involvere non possum : quam saepe mihi, non consilio tantum, sed et auxilio adstiteris, in seligendis et ad praelum de properandis *Authoribus*, cujuscunque ordinis, selectissimis ; quantum operae non semel sumpseris in *Authorum* textibus corrigendis, restituendis, et variarum notarum, atque observationum, ac commentationum, lumine illustrandis ; ex quo labore ut ad me rediit commodum, ita famae tuae, celebritas parta est non exigua : quippe quae doctis omnibus ac piis leguntur, probantur, aestimantur. Quid quod ipse hic, quem nomini tuo inscribo, *Author*, ex tui consilii judicio, a me praelo subjectus est, et tibi debet, quod nova ac nitida veste indutus compareat. Quamvis autem, et subjecti dignitas (*Commentarii enim sunt in Jobum et Salomonem* : at quantos ex Veteris Foederis θεοῦ ἀνθρώποις viros !) et *Merceri* excellens eruditio, opus ipsum satis commendent, postquam tamen calculus accessit tuus, non exiguum is apud me pondus habuit, animumque addidit ac stimulos, ad illud denuo sub incudem Typographicam revocandum. Atque hoc ipsum, quod tuum erat ante, nunc tibi reddo. Pretium, horum est sacris Voluminum, et *Commentariorum* in ea, non est, quod multis apud te exaggerem, qui rem quamque suo pretio jam diu aestimare didicisti. Patere tamen ut aliquid, de utrisque dicam, in gratiam eorum, qui in utrisque judicandis neutrorum praestantiam ac valorem necdum satis perceperunt. Faciam hoc verbis magni *Bezae*, qui in prioris

editionis praefatione sic ab ipso Commentariorum *Authore* orditur. [Elzevier reprend ensuite la préface de Théodore de Bèze parue en 1573 (Genève, Eustache Vignon)]. Tuus ex asse. Franciscus Hackius.